




# Specimen juris gentium inaugurae de causis, quae foederum auctoritatem tollunt

<https://hdl.handle.net/1874/319676>





Doctrina Miscell.

Quarto No. 192.

1. Oldenel, A.C.G. van. De causis quae foederum auctoritatem tollunt.
2. Coster, D.J. De plantarum indige-  
norum usu in medicina.
3. Roll, J.B. Quaedam de ulcere perforante  
ventriculi
4. Lindorp, A. De assecratione super  
rita.
5. Chaufepie, G.J.J. de. De quaestione an  
judicii sit inquirendum in causas  
separationis thori ac mensae, matruo  
conjugum consensu potitae.
6. Obdorp, F.J. van. Dis. exhibens casus  
nonnullas febris pauperalis in  
Nosomico academico anno 1850  
observatos cum episcopi.
7. Reuter, G.H. De discrimine inter  
communionem conjugalem lucri  
damnique et communionem fratre-  
rum atque ceditum.
8. Schmalhausen, R.H. J. De cautione  
damni infecti.
9. Nierstrasz, G. Theses jur. inaug.
10. Pees, O. van. De opere Petri dela  
Court, quod inscribitur: Vanwysing  
der politike gronden en meyden  
van de republique van Holland en  
West-Friesland.
11. Deventer, J.C. van. Spec. exhibens  
Xenophontis librum de rectigalibus  
cum commentario.

12. Wertheim, J. De consilibus metz  
catorum Batavii.
13. Persyn, B. P. van. De irritatione  
medullae spinalis.
14. Cate, G. P. tey. Theses jur. inaug.
15. Sip. G. id.







SPECIMEN JURIS GENTIUM INAUGURALE

DE

CAUSIS, QUAE FOEDERUM AUCTORI-  
TATEM TOLLUNT.





---

La matière des traités est sans doute l'une des plus importantes que les relations mutuelles et les affaires des nations puissent nous présenter.

DE VATTEL, *Le droit des Gens*, etc.

Liv. II, Chap. XII, § 152.

---

SPECIMEN JURIS GENTIUM INAUGURALE

DE

CAUSIS, QUAE FOEDERUM AUCTORITATEM TOLLUNT,

QUOD,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

CORNELII GUILIELMI OPZOMMER,

PHIL. THEOR. MAG. LITT. HUM. ET JUR. UTR. DOCTOR ET PROF. EXTRAORD.

NEC NON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU

ET

NOBILISSIMA E FACULTATIS JURIDICAE DECRETO,

Pro Gradu Doctoratus,

SUMMISQUE IN

JURE ROMANO ET HODIERNO HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

IN ACADEMIA RHENO-TRAJECTINA

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

ERUDITORUM EXAMINI SUBMITTIT

ALEXANDER CAROLUS GHISLENUS VAN OLDENEEL.

Sylva Ducensis.

A. D. XVI MAJI, A. MDCCCL, HORA II.



TRAJECTI AD RHENUM,  
APUD J. G. BROESE.

MDCCCL.

САМЫЙ ПОДРОБНЫЙ  
СТИЛИЗОВАННЫЙ КАТАЛОГ

СИМФОНИЧЕСКОЙ МУЗЫКИ  
СОВРЕМЕННОГО ВРЕМЕНИ.

САМОУЧЕТ ПРАВИЛЫ ПРИГОДНЫ

ДЛЯ ПОСЛЕДНЕГО УЧЕНИЯ СИМФОНИЧЕСКОЙ МУЗЫКИ.

САМОУЧЕТ ЗАДАЧИ И УСЛОВИЯ

САМОУЧЕТ СЕКРЕТЫ

САМОУЧЕТ СИМФОНИЧЕСКОЙ МУЗЫКИ



227 TYPIS K. J. GIEBEN.

PARENTIBUS OPTIMIS, CARISSIMIS.

актвна симто виатил

## SPECIMINIS CONSPECTUS.

### CAPUT PRIMUM.

DE IIS QUAE FOEDERUM AUCTORITATI NECESSARIA SUNT.

	Pag.
§ 1. Quaedam generalia de foederum auctoritate.....	1.
§ 2. Quid sit foedus quidque in eo requiratur.....	4.
§ 3. Mandatum, secundum jus publicum.....	4.
§ 4. Mandatum, secundum jus gentium.....	20.
§ 5. Consensus.....	26.
§ 6. Objectum.....	30.

### CAPUT SECUNDUM.

DE FOEDERUM AUCTORITATE, MUTATA REIPUBLICAE  
FORMA ET CONDITIONE.

	Pag.
§ 1. Quid universe possit mutatus contrahentium status.....	33.
§ 2. Novae leges.....	36.
§ 3. Quaestio de conventione anni 1827 a Rege GUILIELMO cum Pontifice Romano inita.....	38.
§ 4. Mutatio Regiminis formae.....	43.
§ 5. 1 <sup>o</sup> . Ratione populi.....	47.
§ 6. 2 <sup>o</sup> . Ratione Regis pulsi.....	53.
§ 7. Descissio provinciarum.....	56.
§ 8. Civitas quae Regem expulit, quem cum alia civitate com- munem habebat.....	61.
§ 9. Civitas a qua provinciae desciverunt.....	63.
§ 10. Interitus Civitatis.....	64.

## CAPUT TERTIUM.

QUID CONTRAHENTIUM INJURIAE FACIANT NEC NE AD TOLLEN-  
DAM FOEDERUM AUCTORITATEM.

	Pag.
§ 1. Causae injuriarum.....	67.
§ 2. De violatione.....	69.
§ 3. Quando foedus violatum sit.....	70.
§ 4. Violationis suspicio.....	74.
§ 5. De jure, quod foederis violatio alteri contrahentium confert.	76.
§ 6. Quaestio Ordinum Generalium Belgii foederati cum Rege Magnae Britanniae, anno 1780.....	80.
§ 7. Quaedam foederum stipulationes de violatione.....	82.
§ 8. Momentum belli inter gentes orti.....	85.
§ 9. 1º. Foedera, quae auctoritatem servant.....	86.
§ 10. 2º. Foedera, cuius effectus ad tempus tollitur.....	89.
§ 11. 3º. Foedera, quae bello intereunt.....	90.

## CAPUT QUARTUM.

FOEDERUM AUCTORITAS JURE SUBLATA.

	Pag.
§ 1. Causae talis restrictionis.....	93.
§ 2. Tempus definitum.....	95.
§ 3. Conditio resolutoria.....	96.
§ 4. Justa contrahentium renuntiatio.....	99.
§ 5. Propositorum consecutum.....	101.
§ 6. Consensus contrarius.....	102.
§ 7. De clausula »Rebus sic stantibus.....	107.
§ 8. Promissorum exsecutionis impedimentum naturale et morale.....	113.

## CAPUT PRIMUM.

### DE IIS QUAE FOEDERUM AUCTORITATI NECESSARIA SUNT.

#### § 1.

Officium, quo Foedera fungi debent ut justae inter gentes necessitudines extare possint, aequa grave et sanctum habendum est, ac munus, quod legibus tribuitur quum in civitatibus jura cujusque civis definiant: non minus necessaria enim sunt ut gentes securitate et pace fruantur, ut mercatura floreat, ut jura et bona cujuscunque populi tuta esse possint ab irruptione et vi armata vicinorum, quam

leges quae privatorum jura et libertatem vindicant. Auctoritate igitur aequa sancta et certa niti debent, atque ea, quae in omni civitate legibus tribuitur, hisque eas dat vires ut debiliores contra fortioris injuriam tueri possint, et omnis justitiae quasi sint praesidium. Sed foedera non eodem auxilio iisdemque munitamentis utuntur ut omnes sibi obnoxios ad obedientiam compellant. Fidem enim juratam tantum invocare possunt, ubi leges judicem, poenam, carcerem adhibent: et inde per omnia acva eorum auctoritatem impugnatam videmus, cum fortioris perfidia ex verborum obscuritate, temporum mutatione aliove obtentu arma sibi sumpsit, ut utilitatem suam cum alterius detimento consequeretur. — Cultiores omnino progradientis aetatis mores, in observandis foederibus alicujus fuere momenti; apertam, scilicet, fugarunt perfidiam, quae in nonnullis priorum temporum Regibus cernere licuit. LYSANDER alter et FERDINANDUS Hispanus, qui jurijurando illuserant, si saeculo nostro surgerent, absque dubio omnium reprobatione punirentur. Si autem aperta perfidia e nobis decessit non idem dicere possumus de omni injustitia: foedera paulo melius observantur, si qui-

dem eorum violatio unius contrahentis commodum secum fert: dissidia inter gentes, si rariora oriantur quam antiquitus, numquam tollentur, quia foedera numquam erunt perfecta, et eorum applicatio controversiae semper locum dabit, vel quia revera dubias contineant stipulationes, vel quia contrahentes obscuritatem invenire cupiant.

Inter plura litigia quae hac de re mota sunt, quaestio saepe primum locum obtinuit an foedus quoddam auctoritate sua adhuc fruens dici posset? Quae quaestio non tantum se obtulit post gravem aliquem eventum, quum foedus revera jam exstiterat, sed etiam statim post foedus ictum, exempli gratia, quia jure aut injuria contendebatur, eos qui aliquid promiserant, mandati sui fines egressos fuisse, et mandatores itaque obligari non posse. Et hae sunt quaestiones, quas pro virium modulo investigandas nobis proposuimus: hocce igitur specimine inquirentur quae hac in re quamdam difficultatem suppeditarunt. Age igitur! operam suscipiamus agentes de iis quae foederibus constituendis necessaria sunt, ut inde progredi possimus ad ea, quae, foedere jure existente, ratione nostri argumenti difficultatem attulerint.

§ 2.

Foedus tum latiori sensu accipitur, designans omne pactum, quod publica auctoritate cum exteris initur, tum strictiore, continens tantummodo tale, quo contrahitur societas quaedium interior inter gentes ad certum finem, in mutua paciscentium utilitate positum, consequendum<sup>1)</sup>, quodque Galli »Alliances» vocant. Alii aliter. Nobis autem foedera erunt omnia pacta, publici commodi causa, a legitima potestate cum exteris inita, quibusque universus populus quasi legi obstringitur. Apud omnes autem juris gentium scriptores diversae foederum species inventiuntur, quas singulas suo loco indicabimus.

Ut jam vim et auctoritatem habere possint illa foedera, haecce tria observanda sunt: mandatum, consensus, objectum; de quibus singulis dispiciamus.

§ 3.

Ratione mandati primo loco necesse est ut foe-

<sup>1)</sup> Cf. H. FAGEI, Dissertatio de Foederum sanitate. Cap. I, § 1, Lugd. Bat. 1785.

dera inita sint ab eo qui jus habeat atque potestatem, civitatem, cuius nomine et periculo promiserit, obligandi, ejusque jura alienandi. Si quaeratur ad quem talis potestas pertineat, respondendum erit in genere ad eum qui ratione exterorum populi personam refert, et hic plerumque erit Rex, sive Praeses Reipublicae, sive corpus morale, exempli gratia Senatus supremus. Interna autem civitatis leges et instituta indicare debent quisnam ille sit: regula juris civilis »praepositio dat legem contrahentibus» hac in re rectissime applicari potest. Civitas quae cum civitate vicina foedus inire cupit, accurate investigare debet, quaenam jura constitutio ejus det Regi vel magistratui qui tale negotium suscepit, quonam jurejurando ille erga patriam obstringatur, cuinam potestati ratihabitio necessaria servata sit; nam quisque hoc tenere debet, civitatem, sine ulla perfidia, immo sine ulla opprobrii specie, recedere posse a sponsione, quam legatus inivit mandatum suum transgressus: ista enim elemento caret maxime necessario, vitiumque ipsi inhaeret, quod omnem vim atque auctoritatem jam pridem tollit. — Videamus jam quomodo potestas illa in diversis civitatis

regundae formis exercita fuerit, et adhuc exerceatur? Haec enim disquisitio occasionem praebebit investigandi, quatenus foedera vim obligandi habeant, populisve licentia sit, eorum auctoritatem denegandi.

Regum potestas antiquitus nullis limitibus cohabita, in se habebat jus contrahendi cum vicino Rege, in vicina regione similem potestatem exercente. Theoria illa monarchiae, ut vulgo dicunt, absolutae, formula notissima LUDOVICI XIV expressa, »L'état c'est moi," aperte ostendit necessitudinem populi cum Rege: si non exstat Rex sine populo, populus contra sine Rege cogitari nequit; populus et Rex unam tantum efficiunt personam, quae separatim existendi facultatem non habent. Ratione personae Regis, haec potestas dilata esse poterat, aetate, furore vel amissa libertate: exercebatur tum a Vicario vel procerum concilio, qui Regis nomine utebantur; ceterum eadem manebat<sup>1)</sup>. Rex igitur, nullo vinculo obstrictus, partem civitatis vicino cedit, jus navigandi prae

---

<sup>1)</sup> Cf. B. P. VAN WESELE SCHOLTEN, Diss. de Foedere Madritano, etc. Cap. I, Amstel. 1784.

ceteris ipsi tribuit, et populus haec omnia servare debet, quia Rex absolutus populi personam referre habetur: neque postea quaerat quis an ullus Rex talem potestatem ratione populi jure exercere possit? potestas illa revera exstat, et hoc unum sufficit ut populus obstringatur Regiis promissis, dum nulla lex scripta vel institutum obstet: vicina civitas enim potestati facto constitutae etiam fidem habere debuit.

Rarius autem nostra aetate talis potestas penes Regem invenitur, et eam superiori tempore, non ab omnibus sine dubio admissam fuisse, nos docet notissima illa Foederis Madritani historia, quod a FRANCISCO I cum Hispaniarum Rege CAROLO V, ad diem 14 Januarii anni 1526, ictum fuit; quodque postea observare Galli recusarunt. Hocce, scilicet, foedere FRANCISCUS captivus, ut libertatem recuperaret, victori suo Carolo Burgondiam restituere promisit: nobiliores autem Galliae cives Connaci (*Cognac*) convenientes, postquam Rex reversus erat, declararunt »potestatem Regiam non eo produci posse in Gallia, ut eas provincias, quae *Domania Coronae* dicebantur, vicino tradere Regi liceret.“ Foedus

igitur omni auctoritate privarunt cum contrarium esset legi fundamentali in Gallia vigenti, quae illa *Domania Coronae* alienari vetabat, nisi adhibito et annuente Ordinum Concilio, quod vulgo *Trium Ordinum Conventus* appellatur. Et revera omnes scriptores et jurisconsulti tum antiquiores tum recentiores, negant Galliae Reges, tempore FRANCISCI I talem potestatem habuisse <sup>1)</sup>; quod vero insuper omne fere dubium hac de re tollet, est clausula illa quae in ipso foedere invenitur, quaque Rex Galliae promittit efficere, ut Proceres Regni hoc foedus ratum haberent, atque illud in acta publica Senatus Supremi (actes du Parlement) referretur.

Reliquas quaestiones quae occasione ejusdem foederis Madritani saepissime tractantur, suo quasque loco inveniemus, nunc sufficit ut exemplo ostenderimus concursum duarum pluriumve potestatum, nonnumquam necessarium fuisse, ad foederum auctoritatem constituendam, quarum una deficiente, quasi nil actum habebatur. In Gallia, tempore de

<sup>1)</sup> Cf. VAN WESELE SCHOLTEN I. I. — et PAILLET »Droit public Français», pag. 833 et 1022 in notis. Paris 1822.

quo locuti sumus, ut Domania Coronae jure alienarentur, populi consensus, qui Ordinibus Generibus exprimebatur, necessarius erat: Rex illa suo marte alii cedere non poterat, quia cum regno potiebatur, jus illud pro parte alii servatum erat. Nobiliores Galliae cives igitur omnem foederis effectum negarunt nulli perfidiae obnoxii.

Saepe autem quaestio mota est, an Rex, etiamsi absoluta frueretur potestate, et nulla lex Imperii scripta obstaret, partem civitatis alii Regi cedere posset, et an populus tali Regis promisso obstrictus foret? — Certe, fatendum est, Regis officium universe in eo versari, ut regnum incolume et integrum servaretur: Rex ideoque munere suo non recte fungi dicetur si populi partem alii cedit et ita civitatem quasi dilacerat. Sed populus ipse in libera Republica non semper isto jure uti potest, ut partem territorii civiumque tradat, et ita partem amittens totum incolume servare conetur. Hoc nempe jure tantum fiet, si necessitas maxime urgens intercedat, majoraque damna avertenda sint, et insuper cives tradendi quoquo modo hac de re consulantur. Jam Rex absolutae potestatis populi personam

refert <sup>1)</sup>, et si nulla lex imperii obstet, iisdem conditionibus, atque libera Respublica, hocce jure uti poterit; fines enim officii non transgreditur, id agens, quod populus, cuius jura exercet, facere potuisset. Idem nobis dicendum videtur, si lex fundamentalis non usu per longum tempus quasi abrogata haberi debet; sic, ut ejusdem Galliae exemplo utamur, inde ab anno 1614 Ordines Generales nunquam convenerunt, eorumque auctoritas nullis in rebus amplius agnoscebatur, et ita usu, Regi soli suprema et absoluta potestas acquisita fuit. Hi, sine ulla posteriore populi ratihabitione, omnia foedera inierunt, tum provincias acquirentes, tum urbes et colonias exteris cedentes. Vicini populi ergo jure promissis ab uno Rege factis fidem dederunt, et Galli non nisi insigni fallacia egissent si postea talium foederum auctoritatem negassent; ratihabitionis enim facultatem abdicasse et Regi tradidisse haheri debebant <sup>2)</sup>.

<sup>1)</sup> Cf. H. GROTIUS, "De Jure belli et pacis" I. III, C. XX § 7.

<sup>2)</sup> Cf. VATTEL, "Droit des gens" S. I, C. XXI, § 265.

Sed versus finem saeculi quod nostram aetatem praecessit, tum in aliis rebus, tum in condendis foederibus, Galliae principum potestas maxime mutata et fere tota sublata est. Lex enim fundamentalis anni 1791 hanc facultatem dedit populi delegatis qui potestatem legiferam exercebant<sup>1)</sup>; foederibus populus uti legibus obstringitur, Rex nullam legem dare poterat, et igitur omnia foedera, nullis exceptis, a Gallis icta, ratihabitione horum delegatorum indigebant ut populum obligarent.

Ab eo inde momento, promissum regium, quod antea tantum valebat, inane factum est; legati mandatum quidem ad peragenda negotia a Regis administro accipiebant, sed populi delegati revera jus habebant cum exteris contrahendi, et deficiente horum consensu, nulla sponsio foederis vim habere poterat. Mox quidem haec constitutio sublata est, novaeque leges factae sunt, quae vel in omni vel

<sup>1)</sup> Constitution de 1791. C. III, S. I art. 3. »Il appartient au corps législatif de ratifier les traités de paix, d'alliance et de commerce, et aucun traité n'aura d'effet sans cette ratification».

in speciali casu hanc ratihabitionem requirebant<sup>1)</sup>; supremi autem magistratus hac in re potestas non erat absoluta; et qui cum Gallis contrahere velint, inquire debent, quatenus haec potestas extendatur; nulla enim fides debetur, ubi promissum legis fundamentalis stipulationibus aduersetur, et ubi ratihabitio quaedam indigeatur, donec illa data sit.

Angliam si spectemus, videbimus regiam potestatem legibus jam cohibitam, eo tempore, quo ceterae Europae gentes barbaram adhuc tyrannidem pati debebant: dudum viget illic auctoritas legum, quibus Rex, tamquam primus inter cives obedire debet, et quas inter invenimus eam quae lata est tempore EDUARDI I anno 1294; haec inter alia cavet, ne ullum tributum, nisi consentiente populo exigatur. Tali lege vigente, luce clarius apparet, potestam regiam foederis pangendi arctis finibus esse cohibitam; nullas enim copias promittere potest, civitati in bello sociae, nullam pecuniam dare,

---

1) Cf. Acte constitutionel de 1793, art. 330. — Constitution de 1799 art. 49 — 51. — Const. de 1802 art. 58. ceterae. — Denique: Constitution de 1848, art. 53.

nisi securus sit de futuro concursu populi vel potius  
conventus illius, qui vulgo *Parlamentum* vocatur,  
et populi voluntatem declarare habetur. Similiter  
lege *Maris* tempore Reipublicae lata (anno 1651),  
cautum est ne quaedam peregrinorum naves quas-  
dam merces in Angliam inveharent; unde sequitur  
Regem sine concursu Parlamenti, qui hujus legis  
exceptionem admittat, fere nullas mercatura et  
navigationis conventiones cum exteris inire posse  
populis. Huic potestatis defectui tribuendum vide-  
tur quod, ut exemplum afferam, foedus Ultrajecti-  
num, inter Gallos et Anglos initum, quod privi-  
legia mercatura et navigationis utriusque populi  
mutua fecit, exsecutionem numquam nactum sit, quia  
Parlamentum recusavit leges internas ita mutare ut  
foederis stipulationibus convenienter<sup>1)</sup>. Galliae Rex  
hac de re jure queri non poterat; unusquisque enim  
cognoscere debet conditionem ejus quocum contrahit,  
et sciebat igitur Angliae procuratores nil promittere  
posse nisi salva populi probatione. Sed hujus re-

<sup>1)</sup> Cf. HENRY WHEATON, »Elements de droit international, Parte III. C. II § 7, Lipsiae 1848.

gionis principes hanc ratihabitionem fere semper tamquam necessariam in foederibus nuntiant: et ita legi potest in multis foederibus, in quibus ceteri Europae Reges se aliquod facturos esse pure promittunt, illos tantum declarare »se operam datus, ut populus facultatem praebeat hoc vel illud faciendi;» se legem rogatus quae hac de re caveat; ceterisque utuntur formulis, quae in mixta regiminis forma occurunt<sup>1)</sup>. Eadem causa effecit, ut Regis Vicarius anno 1815 adherere noluit Sacro Foederi inter plures Europae Principes icto (*la sainte alliance*); hoc enim erat quasi personale foedus principum qui sibi invicem dominium regnorum asseruerunt: et populus Anglus se tali cautioni jungere non poterat.

Quod attinet patriam nostram, in ea, antiquissimo tempore jam principum potestas in condendis foederibus non fuit absoluta, sed Ordines Provin-

<sup>1)</sup> Vid. *Stipulatio inter Angliam et Regem GUILLEMUM*, 19 Mai 1815: »Over de regeling der Russische schuld.” — Et e. v. VAN HOGENDORP, »Bijdragen tot de huishouding van staat,” Dl. VIII.

ciarum foedera, saltem ea, quae gravioris momenti erant, rata habere debebant, ut haec vim et auctoritatem exercent; et ita legere possumus Ordines Hollandiae, post longam deliberationem, et postquam ceterae provinciae jam adhaeserant, ratum babuisse foedus defensivum quod Imperator CAROLUS V cum reliquis Germaniae partibus, anno 1548, Augsburgii inierat <sup>1)</sup>). Bello autem orto contra Hispamicam dominationem, nova regiminis forma constituta est pacto illo a Septem Provinciis inito, quod Unio Ultrajectina vocatur: sed hoc nonnullas difficultates praebet, si inquiratur penes quosnam potestas esset foedera ineundi: singulae enim Provinciae in privatis suis negotiis summum imperium habebant, non obstante confoederatione, et sibi jus vindicabant, inconsultis ceteris, legatos ad exteris mittendi, foederaque pangendi, de rebus quae illius provinciae commodum spectarent, nec communis Belgii Foederati utilitati adversarentur: immo et urbes tale jus sibi vindicasse legimus.

<sup>1)</sup> »Holland ten tijde van KAREL V EN FILIPS II,” door Mr. AART VAN DER GOES, DI. II, 2<sup>de</sup> stuk pag. 536 sqq.

Leges autem Unionis IX, X et XI jus belli indicendi, pacis ferienda, et universe foedera ineundi quibus omnes provinciae obstringerentur, concedunt Ordinibus Generalibus Belgii Foederati; hi igitur mandatum ea de re legatis dabant: foedera autem a singulis provinciis ratae haberi debebant<sup>1)</sup>. In tali autem Reipublicae statu difficultissimum erat, definire quatenus in quoconque casu singularum provinciarum potestas extenderetur, ideoquo graves hac de re controversias saepe motas videmus.

Talis rerum ordo stetit usque ad eam aetatem, qua Galliae milites nostram Rempublicam invaserunt, novaque regiminis forma instituta est, qua potestas legifera separatim exercebatur; haec ratificationem habebat omnium foederum cum exteris ictorum<sup>2)</sup>. Subsequentibus Constitutionibus anni 1801 et anni

<sup>1)</sup> Cf. BIJNEKERHOEK, Quaestiones juris Publici, II, 4. — »Politiek vertoog over het sistema der stad Amsterdam,« door VAN GOENS, pag. 202, 203. — Cf. PIETER PAULUS, verklaring der Unie van Utrecht ad leges IX, X, XI.

<sup>2)</sup> Staatsregeling van 1798 art. 50 C. »Aan dat lichaam (vertegenwoordigende hoogste magt) behoort, het ratificeren en bekraftigen van alle traktaten en alliantien met vreemde mogendheden.«

1805 ratihabitio penes eandem stetit potestatem, excipiebantur tamen stipulationes arcanae, quibus autem pars territorii cedi non poterat<sup>1)</sup>. In Gallia Res publica interiit, nostraeque civitati Rex impositus est, cui soli lex fundamentalis ratihabitionem tribuit, ea tantum conditione, ut foedera Ordinibus regni communicarentur; quae restrictio exteris populis nullius est momenti. Simile praeceptum legitur in lege fundamentali anni 1814<sup>2)</sup>. Sed in nova

---

<sup>1)</sup> Grondwet van 28 September 1801 art. 39. »Het staatsbewind sluit alle traktaten, hetzij van vrede, alliantie, neutraliteit, koophandel of andere, doch niet dan onder opvolgende bekraftiging van het wetgevend lichaam, met uitzondering echter van zoodanige geheime artikelen, als bij dezelve traktaten gevoegd zouden mogen worden, mits dezelve niet strijdig zijn met de openbare artikelen of plaats hebbende traktaten, en niet strekken tot afstand van eenig grondgebied der Republiek.” — Grondwet van 1805 art. 31. »Het regt van bekraftiging van traktaten van vrede, alliantie en koophandel, behoort bij uitsluiting aan de vergadering van hun Hoog Mogenden. De geheime artikelen hiertoe behorende zijn aan deze bekraftiging niet onderworpen. Deze geheime artikelen mogen echter niet strijdig zijn met de openbare, en niet strekken tot afstand van eenig grondgebied van het Bataafsch gemeenebest.”

<sup>2)</sup> Constitutie van 5 Junij 1806 art. 35. »De Koning bekraftigt alle traktaten en overeenkomsten met vreemde mogenheden; dezelve worden als wetten aangekondigd, na door den

lege anni 1845, sicut in ea quae anno 1840 lata est<sup>1)</sup>), stipulatio invenitur, ut Rex foedera, tempore pacis inita, rata haberi nequeat, nisi praevia Ordinum Generalium probatione, si illis cessio aut permutatio territorii civitatis vel coloniarum promit-

---

Koning aan de vergadering van hun H. H. M. M. te zijn mededeeld. De geheime artikelen zijn onder deze mededeeling niet begrepen; zij mogen echter niet in strijd zijn met de openbare artikelen." — Grondwet van 1814 art. 37. »Aan Hem (den Souvereinen vorst) alléén is behoudens de kennisgeving daarvan aan de Staten Generaal, opgedragen het regt om alle verbonden en verdragen te doen sluiten en te bekrachtigen; aan hem behoort diensvolgens het bestuur der buitenlandsche betrekkingen" enz.

1) Grondwet van 1840 art. 57 (1815 art. 58). »Insgelijksch wordt aan den Koning opgedragen het regt om alle andere verbonden en verdragen te doen sluiten en te bekrachtigen. Hij geeft daarvan kennis aan de Staten Generaal zoodra hij oordeelt, dat het belang en de zekerheid van het rijk zulks toelaten. — Indien de verbonden of verdragen, in tijd van vrede gesloten mogen inhouden eenigen afstand of ruiling van een gedeelte van het grondgebied des Rijks of van dezelfs bezittingen in andere werelddeelen, worden dezelve niet bekrachtigd, dan nadat de Staten Generaal op dezelve hunne goedkeuring hebben gegeven." — Cf. J. A. THORBECKE, »Aantekeningen op de Grondwet," 2<sup>de</sup> Edit. pag. 118 sqq. — et J. J. RAEPSET, »Journal des séances de la commission pour la revision de la constitution," pag. 74, Brux. 1840.

titur <sup>1)</sup>). Novissima jam lege fundamentali anni 1848, haec probatio eousque extensa est, ut etiam necessaria habeatur, si foedera de aliquo jure legitimo (*wettelijke regten*) aliquid statuant aut mutent; neque refert utrum tempore pacis an tempore belli icta sint <sup>2)</sup>. Praeceptum illud de jure legitimo ita nobis intelligendum videtur, ut Ordines Generales intervenire debeant, si foedera quoddam jus exteris concedunt, quod legi vigenti aduersetur. Sic, verbi gratia, qui merces in patriam nostram invehunt, vestigal solvere debent, lege constitutum: jam Rex, foedus iniens, sine probatione Ordinum Generalium, gentis cujusdam gratia, hoc vectigal minuere aut augere nequit; saltem si hoc jus Regi

---

<sup>1)</sup> In Anglia recentiori tempore *Parlamenti* consensus non rogatur ut territorium *in Coloniis* cederetur. Haec doctrina imprimis invaluit suadente Cancellario Thurlow, anno 1783. Cf. »The lives of the Lords Chancellors.” Bij Lord CAMPBELL, London 1846, Tom. V. pag. 549.

<sup>2)</sup> Grondwet van 1748 art. 57, alin. 3. »Verdragen, welke het zij afstand of ruiling van eenig grondgebied des Rijks in Europa of in andere werelddeelen, hetzij eenige andere bepaling of verandering *wettelijke regten betreffende*, inhouden, worden door den Koning niet bekrachtigd, dan nadat de Staten Generaal die bepaling of verandering hebben goedgekeurd.”

non collatum sit quadum lege quae speciales ea de re exemptiones agnoscat<sup>1)</sup>. Tale enim foedus vim legis vigentis partim tolleret, et legis tollendae non amplius quam ferendae potestas a Rege solo exercetur<sup>2)</sup>.

In omni autem regiminis forma, quae constitutionalis vulgo dicitur, hoc adhuc tenendum est ratione regiae potestatis in pangendis foederibus: integra, scilicet, lex fundamentalis spectanda est; nihil enim Rex nec promittere, nec facere potest, quod huic legi aduersetur; hanc servare juravit; a stipulationibus hujus deflectens, mandatum suum transgreditur, subditosque nullo modo obligare potest.

#### § 4.

Hactenus egimus de potestate legitima foedera ineundi, quam internam vocare possimus; inquisivimus, scilicet, tantum a quonam proficeretur potestas illa, et quatenus Rex vel summus Magis-

---

<sup>1)</sup> Ut in »De scheepvaartwetten» anni 1850.

<sup>2)</sup> Cf. e. v. VAN HOGENDORP, I. I. Tom. VIII pag. 147.

tratus eam latiore vel arctiore modo exercere possit, quae omnia ad jus publicum pertinent. Progrediamur jam et videamus quomodo ea uti solent, quod jus gentium nobis ostendet.

Notum est, ad foedera ineunda vulgo adhiberi legatos, qui a superioribus sui procreationem accipiunt: procuratorum ergo officio funguntur, et si regulas juris privati sequeremur, mandans certe teneretur omnia servare, quae talis procurator promiserit, si hic saltem mandati fines transgressus non fuerit: potestas enim ejus, mandato, quo instrutus est, definitur. Antiquissima autem aetate usus jam obtinuit, quem postea fere omnes secuti sunt, ut Rex, sibi servaret ulteriorem foederis a legato icti ratihabitionem, quae vel in mandato vel in ipso foedere retinebatur<sup>1)</sup>. Legatorum potestas igitur tum nihil aliud erat nisi procuratio *cum libera*, eorumque munus unice constabat, in conscribendis foederum stipulationibus, et nudum eorum promissum

---

<sup>1)</sup> Primum hujus generis exemplum occurrit in foedere, quod JUSTINIANUS cum CHOSROË I Persarum Rege anno 651 invit. Cf. BERBEYRAC, "Histoire des anciens traités," Tom. II.

neminem obstringebat. Difficultas tamen in eo est, quod plerumque juxta procurationem quae a legatis communicari debet, exstent arcana mandata, quae nonnumquam illi procurationi aduersentur: quum bona fides requirat ut Rex ratihabitionem tantum negare possit, vel si demonstret legatum mandati fines egressum fuisse, vel in illis casibus in quibus foedus etiam post ratihabitionem inane evaderet<sup>1)</sup>. GROTIUS et PUFENDORF post eum, analogiae juris privati nimis concedentes, affirmant Regem semper teneri, si saltem legatus publicum mandatum non transgressus fuerit, quamquam arcanum non stricte observaverit<sup>2)</sup>. WICKEFORDT Reges non minus virtuoperat, qui ratihabitionem negarunt foederibus, quia haec mandato arcano non congruerent<sup>3)</sup>. BYNCKERSHOEK autem, gentium usui majus momentum tribuens, hac de re, nobis melius opinari videtur: agnoscit quidem Regi, non minus quam

1) Cf. VATTEL, I. I. S. II, C. XII, § 126, et H. WHEATON I. I. Parte III, C. II § 5.

2) Cf. GROTIUS, I. I. S. II, C. IX, § 2, et PUFENDORF, "De jure naturae et gentium," I. III. C. IX, § 2.

3) »L'Ambassadeur et ses fonctions," I. II, § 15.

privato, ratumhabendum esse, si legati mandatum *speciale* est, »sed, ait, raro fit, quod publica mandata sint specialia, rarius quod arcanum publico sit contrarium, rarissime vero, quod legatus arcanum spernat.” Quod vero si hoc spretum est? et vir illustris ad temporis sui usum attendit, qui ratihabitionem in omni casu requirebat, excepto eo rarissimo, si mandatum publicum omnia, quae legatum jussa erant, speciatim complecteretur<sup>1)</sup>. Nostra aetate mos ille magis atque magis invaluit, ut legatus latissima procuratione instrueretur, reservata tamen ratihabitione; nullus enim bonus finis negotii ejus praevideri posset, si pars adversa statim cognosceret quaenam concedi, quaenam impetrari deberent; tota legatorum scientia et aptitudo supervacua forent; nulla utilitas, nullum lucrum ex obveniente occasione, ex habitu adversariorum capi possent; verbo, legati abundarent. Latissimum igitur mandatum dari oportet, et arcanum subvenire, quod legatum doceat, quaenam facienda, quaenam omittenda sint. Ratihabitio jam reservata non accipi

<sup>1)</sup> BIJNCKERHOEK, Q. J. P. I. II, C. VIII, passim.

potest nisi populis auxilium sit, contra hujus arcani mandati transgressionem, quasi in integrum restitutio juris civilis. Tamquam inanis verborum formula ea admittenda nobis non videtur.

Clarum talis denegatae ratihabitionis exemplum, recentiore tempore, nobis praebet Russorum Imperator ALEXANDER; anno enim 1806 legatum suum d'OURBIL Lutetiam Parisiorum misit, eumque publico mandato instruxit, quo promisit »d'avoir pour bon et d'exécuter fidèlement, tout ce qui auroit été arrêté et signé, de même que d'y donner la ratification; idem autem mandatum legato tantum concessit »de ne signer que sur des bases propres à préparer la paix aux autres parties belligerantes" (Imperator scilicet obligatus erat ne seorsim ab Anglis pacem cum Napoleonte faceret). Arcanum insuper mandatum ab hocce publico longe distasse videtur. Quidquid sit, die 20 mensis Julii pax condita est, cuius tamen ratihabitio necessaria expresse reservabatur; hanc autem ALEXANDER dare noluit, quia mandatum arcum a legato violatum arguebat, quodque revera ita fuit; longe insuper aberat, ut pax cum Anglia, Imperatoris socia,

conderetur. Hanc ob rem autem Imperator nulli perfidiae obnoxius nobis videtur 1).

Nemo autem illa, quae diximus, ita intelligat, quasi nobis videretur ratihabitio, dummodo antea reservata fuerit, in omni casu impune negari posse. Contra, talem facultatem strictim denegatam velimus ob causas, post foederis pactionem, obvenientes, quasque tempore datae procurationis mandans praevidere non poterat. Sic Concilium legiferum Reipublicae Batavae, ignominiae dignum nobis videtur, cum conventionis, anno 1804, inter Reipublicae legatos et Principem Arausiacum, iactae, ratificationem negavit. Haec enim negatio, non nitebatur vera, vel etiam ficta, mandati transgressione; quum concilii voluntas in foedere, quod legati inierant, plane expressa erat, sed timore erga Napoleontem, quo tamen suadente, ejusdem foederis gratia legati mandato instructi fuerant. Talis recusatio, e tam indigna causa profecta, non est populi bonae fidei, et maximopere vituperanda videtur, metus

---

1) Vid. »Memoires tirés des papiers d'un homme d'Etat,« Tom. 9, pag. 206 sqq. et notae E. et F. Par. 1835.

enim non is erat qui jus daret, promissum frangendi <sup>1)</sup>.

§ 5.

Postquam hisce igitur exposuimus, quid in foederibus pangendis requiratur ab illo qui contrahat, ut ea vim habeant et auctoritatem, quidnam facultatem istam definiat, et quibus conditionibus resolutoriis obnoxia sit, agendum nobis est de ceteris elementis quibus illa auctoritas constat. Jus privatum nos docet, deficiente consensu, nullum contractum existere posse, et quia foedera e sua natura, contractus sint inter gentes, facillime apparabit hoc consensu foederibus non minus opus esse. Principio autem ita constituto, analogiam juris privati statim derelinquere debemus; si enim secundum hocce jus necessarium est ut consensus contractui, inter cives ineundo, libere detur, et ideo vis et metus existentes eum vitiant, haec libertas in foederibus requiri non potest: talis enim rescissionis

---

<sup>1)</sup> Cf. BOSSCHA, »Geschiedenis der Staatsomwenteling van 1813," Tom. II, Bijlage I.

causa in jure gentium agnita, omnem popolorum securitatem plane tolleret, quum numquam pax feriretur, quam civitas victa, vis et metus argumentis adhibitis impugnare non posset, bellaque igitur non aliter cessarent, quam toto interitu utriusque populi. Sunt qui hac in re distinguant vim injustam a justa <sup>1)</sup>; hancee admittentes, si defendendi juris impugnati causa adhibita fuerit, eamque solam consensum non vitiare aūunt. Idem autem agnoscunt distinctionem illam, quae juri omnino congruit, saepissime effectu carere, quia fere semper sufficiens hujus justae causae probatio deērit. Haec restric<sup>tio</sup> certe facienda erat; vis enim adhibita tantum invocabitur in foederibus post bellum quoddam conditis; hoc vero suscipiens utraque civitas justam causam se persequi putat aut saltem contendit, et post victoriam, hanc sententiam non abdicabit. — Laesio, quae, secundum jus privatum, in nonnullis contractibus infirmandi vim habet, in jure Gentium quasi talis non magis admitti potest: haec enim primo

<sup>1)</sup> J. L. KLÜBER, »Droit des Gens moderne de l'Europe,« Sect. I, C. II, § 143.

loco requirit, ut legitime constet an revera adsit et quanta haberi debeat; inter cives ejusdem civitatis hoc quidem fit coram judice, cuius sententiae obtemperandum est; sed gentes talem non admittunt; nemo igitur existentem laesionem agnoscere vellet, et si tale remedium admitteretur, certe nova bella parerentur foedere isto, quod ea terminare debuisset. Si vero error vel dolus, qui *causam dans* vulgo dicitur, laesionem attulerint, consensus deficere dicendus erit: haec enim in omni foedere occurrere possunt, neque iis applicare possumus quae de vi et metu diximus. Talem ob causam autem Foedera rarissime effectu carebunt: antequam enim ratahabentur, sat temporis elabitur ut error vel dolus detegatur; et hoc sine ullo dubio legitimam dabit causam ob quam ratihabitio denegabitur<sup>1)</sup>. — Ad hunc locum, ubi de libero consensu agimus, non inutiliter referri nobis videtur quaestio illa an

---

1) Ob dolum, verbi gratia, Ordines Generales Belgii Foederati ratihabitionem negarunt, Foederis a legato VAN BOETSELAAR (Heer VAN LANGERACK) cum Gallia initi. Cf. L. VAN AITZEMA, "Saecken van Staat," ad annum 1628.

Rex captivus apud hostem, cum hocce foedus inire posset, quod ratione populi Regi subditi vim et efficaciam habeat? — Supra demonstravimus, quae-nam Reges, prouti civitati praepositi sunt, observare debeant in foederibus, quae ineuntur, <sup>at</sup> haec auctoritatem habere possint; hoc loco ergo tantum agi-temus quid vis possit in Regem exercita, ratione populi, qui promissis ejus obligetur. In Rege duae spectandae sunt personae, homo privatus, scilicet et praeses civitatis; captivitate nulla harum qualitatum amittitur, hominis autem libera actio impeditur, et in illum revera vis exercetur. Quodsi modo diximus, vim, <sup>en</sup> genere, consensum non vitiare in foederibus, egimus de vi in contrahentem exercita, id est in integrum civitatem, cum haec, verbi causa, bello tot copias amiserit, ut ruina immineat; vis autem adhibita in naturalem personam, ita ut lega-tus qui foedus inire aut Rex qui ratumhabere de-beat, cogeretur, consensum ita tollit, ut foedera quasi non icta haberri debeant. Reges autem qua-lescunque sint, eo munere funguntur ut populi per-sonam referant, sive mandatum directe a populo, sive a Deo ut vulgo dicitur, acceperint; sed tale

munus tantum exercent, si in civitate manentes summo ibi honore fruantur, et omnes ipsis obedient; libertatem autem si amittant, hoc imperium differunt ad tempus, et vis quae in illos exercetur, in populum exercita dici nequit <sup>1)</sup>. Rex igitur captivus, si foedus se observaturum promiserit, in patriam vero redux bonum publicum huic observationi obstare viderit, recte fidem suam denegabit, alia persona enim erat in captivitate, alia populo praepositus. Strictim vero opus est ut libertatem nactus, sine mora hanc recusationem nuntiet: silentium enim, pro praepostera ratihabitione, quae omne foederis vitium tolleret, recte haberetur.

§ 6.

Ad tertium denique foederis elementum transeamus, eorum scilicet objectum, non minus necessarium, quamquam enim observantia, postea se-

<sup>1)</sup> Talis vis in Regem exercitae exemplum docet P. DE CEBALLOS, in: »Exposition des faits et des trames qui ont préparé l'usurpation de la couronne d'Espagne,» Madrid 1813. Vid. Etiam DE PRADT, »Memoire Historique sur la revolution d'Espagne,» Paris 1816.

cuta, nullam vim neque auctoritatem foederibus constitutis addat, tamen opus est ut contrahentes nil promittant, quod postea praestare non possint. Alter contrahentium enim consensum suum tantum dedit ea conditione ut alter a sua parte praestaret, quod promiserit; si haec praestatio tempore contractus initi ob quamdam causam fieri nequit, jam statim deficit conditio et inde consensus. Deinde si res promissa, quae fieri nequit, argumentum deridet foederi, hoc totum evanescit, quia objecto caret. Promissorum autem exsecutio impedimentum habere potest naturale vel morale; prius obtinet si alter contrahentium promissum suum exequi nequit, quia revera ipsi copia deest solvendi, exempli gratia, si majorem numerum navium tradere promiserit, quam in civitate adsint, et omni ope adhibita adesse possint; aliaque. Moraliter promissum exequi nequit, si jura aliorum legitima ipsi obstent; hujus generis supra jam invenimus impedimenta ex jure publico civitatis orta: sic etiam libera contrahentium voluntas impeditur, antiquiore foedere, quod alii populo jura atque privilegia concessit: de hisce enim quae antea quasi tradita sunt,

novi socii commodi gratia populus disponere nequit, quia alii non potest dare quod ipse non habet. Iis foederibus adnumerare possumus ea, quibus quis promiserit, se seorsim a populo in bello socio pacem non facturum: nam quamdiu tale promissum existet (et ex sequentibus videbimus quo casu haec obligatio tollatur), iste libertate penitus caret cum hoste communi agendi.

Difficultatibus, quae elementa foederum, mandatum, consensus, objectum, afferunt, quadammodo exploratis, aggredi jam debemus longe gravius hujus speciminis argumentum, quo videndum nobis erit, quando ab obligatione ita suscepta recedere liceat, et quas ob causas foedera auctoritatem amittant.

## CAPUT SECUNDUM.

---

### DE FOEDERUM AUCTORITATE, MUTATA REI PUBLICAE FORMA ET CONDITIONE.

#### § 1.

Foedera, secundum regulas in superiore capite expositas, condita et ratahabita, aequae ac contractus inter privatos, stipulanti jus dant perfectum a promittente petendi, id de quo convenerit. Populus qui foedere aliquid promisit, et promissum non servat, utitur rebus quarum liberum dominium amisit, et igitur non minus jura violat, quam si res aliorum vi armorum caperet. Quamquam

non compelli possit codem modo ac privatus, omnium odio obnoxius erit, quia bello a sua parte injusto causam saepe dabit, bonam fidem, cuius famam omnes aemulantur, abjicit, et ideo, ut ait CICERO »omnium commune praesidium oppugnabit, quantumque in eo est, disturbabit vitae societatem<sup>1)</sup>." Civitas igitur, si perfidae nomen mereri nolit, obligationi semel susceptae obtemperare debet, quamdiu haec durat: hoc vinculum autem, cum foederibus nascitur, vivit, moritur: jamque, pro virium exiguitate inquiremus quamdiu haec vim atque auctoritatem servent. Ne autem permulti, eam tollendi modi simul et semel agitati obscuritatem disputationi praebeant, non inutile nobis visum est, tres causas principales indicare, quas separatim tractabimus, quarumque una, civitatis foederatae mutatio interna, argumentum nobis erit huic capiti; ut deinde de momento actionis ejus externae et de legitima foederum extinctione agamus.

Auctoritas contractuum inter gentes legitime constituta, secundum regulas juris gentium naturalis,

<sup>1)</sup> CICERO in »Oratione pro Roscio Comoedo," Cap. IV.

non curat conversionem status interni alterius contrahentis: promisso dato jus alienatum est, et nil refert deinde quid apud alterum eveniat; quod ille promisit, semper debebit. Haec regula generalis, quamquam in nonnullis casibus applicatione careat, tamen nos docet, foederum auctoritatem talem ob causam nisi contra jus gentium saltem praeter id jus tolli, et igitur talem extinctionem non nisi arc-tissime agnosci posse. Foedus scilicet a populo ictum obligat omnes cives tum praesentes tum futuros ut ipsi obtemperent: civitas enim est corpus morale, cuius membra semper renovantur, cuiusque existentia non pendet a vita singulorum civium; in quam novi cives non admitti possunt, nisi tacita hac conditione, ut leges et foedera quae civitas sibi imposuit, servarent: obligatio igitur tamdiu perdurat, quamdiu illa civitas libera manet<sup>1)</sup>. Nonnumquam autem evenit ut populus, unus idemque manens, leges mutet, Reges ejiciat, vel ita distrahat ut duac

<sup>1)</sup> Hoc jus civiam, qui nunc in civitate adsunt, futuros obligandi, nonnulli negarunt in quibus F. PAIJNE. Sed eorum sententia non semel plane refutata est. Cf. KLUIT » Rechten van den mensch in Frankrijk geen gewaande rechten in Nederland.”

pluresve civitates, probe distinguendae oriantur: quae facta non omni momento carent ratione foederum, quibus pristinus populus cum vicinis jungebatur.

§ 2.

Leges quibus civitates reguntur plerumque latae sunt a potestate cui hoc munus competit: eadem potestas ergo has leges mutare potest, quum et eas abrogare ipsi licet. Populo autem nonnumquam aliae obligationes existunt, quam eae, quae ex lege nascuntur: hae originem capiunt ex aliquo contractu, remoto tempore a summo magistratu cum alio populo inito, et huic certa jura ac privilegia tribuunt. Illa jam mutare aut abrogare non amplius stat penes populum unum, alterius contrahentis consensus ipsi subvenire debet. Superiore capite, demonstravimus, civitatem, sine consensu alterius contrahentis nullum foedus inire posse, anteriori foederi contrarium: rationes quas tunc exposuimus, facultatem istam circa leges internas eodem modo vetant. Populus, verbi causa, vicinae civitati concessit, ut tamquam privilegium et ceteris exclusis, quasdam merces sine vectigali solvendo invehere ipsi

liceret<sup>1)</sup>: jam eidem populo facultas deëst legem ferendi, quâ omnibus liberum commercium permittat<sup>2)</sup>: hac de re enim partem libertatis alienavit priore foedere, et talem facultatem abdicavit. Si autem legem ferret, quâ juris limites transgrediretur, vicina civitas foedus tamquam violatum habere poterit, et omnia commoda sibi capere quae ex tali violatione manabunt.

Saepe autem juxta foedera leges oriuntur, quae

<sup>1)</sup> Similia privilegia concessa invenimus in foedere 19 februarii 1810, inter Angliam et Lusitaniam, icto: legimus enim in art. VI".... et il est expressément déclaré et promis qu'un semblable privilège ne sera accordé à aucune puissance quelconque." Item in art. VIII,".... il est de plus stipulé que ce privilège ne sera accordé à aucune autre nation ou gouvernement, ni en retour d'un autre équivalent, ni en vertu d'aucun traité ou accord subséquent, etc." — Cf. »Recueil manuel pratique de traités et conventions, etc." par le Baron C. DE MARTENS, et le Baron F. DE GUSSIJ, Tom. II, pag. 353, 354, Leipzig 1846.

<sup>2)</sup> In foedere 25 Julii anni 1840 inter Galliam et patriam nostram, occurrit stipulatio, quae hac de re expresse exceptionem admittit; legimus in art. 11: »Les Hautes Parties contractantes se sont réservé d'admettre à la participation aux dites conditions.... d'autres états, et même d'en rendre l'application générale." — Cf. MURHARDT, »Supplément au recueil des traités DE MARTENS," Tom. I, pag. 216.

illis quidem non aperte adversantur, sed tamen vel modum, quo exsecutio iis dari debet, mutant, vel causam, ob quam inita fuerunt, tollunt: eas leges quisque populus libere ferat; et ex maiore vel minore rerum conversione quam secum ferent haec nova instituta, efficiendum erit an et quatenus foedera auctoritatem amiserint. In posteriore nostrae disputationis parte, ubi agendum erit de clausula »rebus sic stantibus," quae secundum plures in omni foedere tacite admittitur, dispiciemus, quando legum mutatio tale momentum in foedera exerceat ut eorum vis et auctoritas jure ac legitime sublata dici possit; hoc loco quaestionem agitamus quia monere velimus, eam auctoritatem nova lege non facile minui. Ut nova instituta in civitate, quod attinet efficaciam foederis ab hacce initi, quoddam effectum habere possint, argumentum principale foederis, quod causam ipsi dedit, subversum esse debet, neque refert, an lex stipulationi cuidam secundariae obstet, aut haec inutilis fiat.

§ 3.

Quaestio, quam ab hocce loco non alienam

habemus, non semel mota est: an foedus, quod Rex GUILIELMUS I cum Pontifice Romano, die 18 Junii anni 1827, initit, quodque vulgo *Concordatum* vocant, adhuc suam servaverit vim et efficaciam? Non nulli de hac auctoritate etiam hodie vigente, dubitaverunt, varias afferentes rationes, quarum una nititur novissima lege fundamentali nostra, quae omnibus cultus formis latissimam libertatem concessit<sup>1)</sup>, omneque vinculum inter Ecclesiam et Civitatem solvit. Nobis videtur patriam nostram etiam hodie hocce foedere obligatam esse, nullamque causam satis validam adesse putamus ob quam auctoritas ejus non adhuc vigeret: — ut hanc sententiam autem quodammodo argumentis corroboremus, licet breviter historiam hujus foederis exponere, ut inde videre possimus quid revera fuerit concessum a parte Regis, et in quantum leges nostrae, inde ab eo tempore latae, aliquod exercere potuerint momentum.

Quae proprio nomine *Concordata* appellantur foe-

---

<sup>1)</sup> Cf. Caput sextum legis fundamentalis anni 1848 (art. 164 — 170).

dera a Pontifice Romano cum Principibus icta, a ceteris foederibus, inter Reges initis, in eo differunt ut alter contrahentium, Pontifex scilicet, agat non tantum quasi gubernator civitatis, suum populum obligans, sed potius quasi spiritualis Princeps omnium vel cuiusdam civium partis, qui alteri Regi subsunt; in illis Concordatis igitur plerumque agitur de libertate, tutela vel ordinatione cultus Catholicorum. Meridionales jam provinciae civitatis nostrae, uti haec eo tempore constabat, anno 1801 Galliae junctae erant, et in illis hierarchia instituta erat, secundum regulas, in foedere eo tempore a Consule Republicae Gallicae cum Pontifice Romano icto, constitutas: in septentrionali parte autem nulla hierarchia obtinebat, et Catholicci directe regebantur ab internuncio Pontificis, uti et hodie adhuc fit. Conventione jam anni 1827, a Rege GUILIELMO inita, concordatum anni 1801, prouti in Belgio Australi vigebat productum est ad provincias septentrionales<sup>1)</sup>,

<sup>1)</sup> Art. 1 Concordati dicit, «Conventio anni 1801, inita inter summum pontificem Pium VII et gubernium Gallicum, quae in meridionalibus Regni Belgici provinciis viget, ad sep-

eo fine ut haec in dioceses dividerentur, in quibus singulis Episcopus et Capitulum adesset, quibus stipendium solvere, quorumque jura et honores agnoscere Rex promisit 1). Concordatum igitur non ictum dicere possumus, ut Catholicis libertas exercendi cultus concederetur, huic enim lex fundamentalis cavaebat, eamque augere Rex non poterat, si hac lege impediretur; sed principale argumentum potius in eo erat ut Catholicorum hierarchia in provinciis septentrionalibus, uti in ceteris Regni partibus existaret, idque cum auctoritate, quam superiores sacerdotes in inferiores exercent, secundum regulas in jure Canonico admissas. Haec conventio, jure inita et ratahabita 2), effectum tamen pro parte tantum nacta est: vim autem ejus adhuc plane vigere, ut supra jam monuimus, non dubitamus; rationes enim validae cognitae nobis non sunt, quae ipsi aduersentur. Quod Belgica civitatis nostrae pars separatim

“... de Belgica civitate, quae in Nederlandsche en Duitssche tentrielles provincias applicabitur.” Vid. Staatsblad voor het Koningrijk der Nederlanden van 2 October 1827, №. 41.

1) Conventionis art. 2 et bulla edita 16 kal. Septembris 1827. Cf. Stbld. №. 41 et №. 42.

2) Die 25 Julii 1827.

postea exstiterit, nil referre potest, nam ex toto foedere satis apparet, illud maxime Hollandiae gratia initum fuisse. Effectus autem post longum tempus nondum plane secutus, nemini legitima causa videbitur, ob quam vis atque auctoritas obligationis tollatur. Quodsi lex fundamentalis novissima sacrorum libertatem clarius proclamavit, ita ut Catholici sine dubio hodie hierarchiam ordinare possint, etiamsi summi magistratus probatio non interveniat<sup>1)</sup>; hoc Regium promissum Pontifici Romano datum, circa stipendum, ceteraque, quae conventio anni 1827 continet, non tollit neque inutile facit: in illa lege fundamentali insuper non licuit nobis aliquid statuere, quod nostro foederi contrarium esset: contra, in articulo 168 alin. 2 regula generalis invenitur, quae certe casum, de quo hic loquimur, comprehendere potest<sup>2)</sup>. Itaque nobis videtur, jure dici

<sup>1)</sup> Salvo saltem jure publico. — Cf. art. 65 al. 2 legis fundamentalis, »In geen geval mogen de onderdanen des Konings vreemde ordesteekenen, titels, rang of waardigheid aannemen, zonder zijn bijzonder verlof.” et art. 169. ” De Koning waakt, dat alle kerkgenootschappen zich houden binnen de palen van gehoorzaamheid aan de Wetten van den Staat.”

<sup>2)</sup> Art. 186 alin. 2, legis fundamentalis, »Aan de leer-

posse, legem fundamentalem anni 1848 neque foederis rationem sustulisse, neque effectui ejus obstatere<sup>1)</sup>.

§ 4.

Quum ita leve momentum legis in civitate mutatae erga foederum vim memoravimus, mutationem quae longe graviores consequentias habet, indicare nos oportet, illam, scilicet, quae nascitur ex populari seditione, quae Regiam gentem expellit, vel vigentem regiminis formam evertit. — Tales enim rerum conversiones multas gentium fata nobis afferunt, quae saepe longa et cruenta bella peperrunt, et fere semper labefecerunt foederum auctoritatem. Antequam autem hanc capitum particulam aggrediamur, necessario praecedere debent quaedam de distinctione, ab omnibus juris gentium scriptoribus admissa Personalium, foederumq[ue] Realibus: hisce enim semel et probe distinctis, multae causae cla-

---

aars, welke tot nog toe uit 's lands kas geen of een niet toercikend traktement genieten, kan een traktement toegelegd, of het bestaande vermeerderd worden.”

<sup>1)</sup> Cf. J. J. RAEPSET, „Journal des séances de la commission, chargée de rediger le projet de constitution,” pag. 168.

rissime nobis indicabuntur, ob quas foederum auctoritas, post eam civitatis mutationem, de qua hic agitur, jure soluta dici possit.

Omnis, foedera personalia vocarunt, quae panguntur ratione cuiusdam personae, quaeque cum illa persona vivunt et moriuntur: realia contra, quae personam non curant, sed ab ipsa re, cuius causa inita sunt, pendent. Multae autem inter viros doctos controversiae semper fuerunt motae, quisnam character personalium et realium habendus esset, si distinctio in ipso foedere expressis verbis non indicatur, et ex ejus argumento effici non potest, quaenam fuerit contrahentium mens. Ne dealiorum sententia ad hunc locum dicamus, sufficiat ut illam illustris GROTHI referamus, qui realia habet omnia foedera quae a civitate libera panguntur; »At, inquit, si cum Rege contractum est, non statim erit personale, si adjectum est foederi, ut perpetuum, sit, aut factum in bonum Regni, aut cum Rege et successoribus, aut denique ad certum tempus definitum reale esse, satis apparebit<sup>1)</sup>.» Sequitur tum discrimen

---

<sup>1)</sup> GROTIUS, de Jure Belli et Pacis, lib. II, C. 16.

admittendum foedera inter quae odiosa , et illa quae favorabilia dici possunt , haec , scilicet , ceteris dubiis , pro realibus , illa pro personalibus habenda dicit . Regula autem generalis eo tempore talis erat , ut omnia foedera , a Regibus inita , personalia foarent , realia non babebantur , nisi exceptione quadam ex foederis verbis efficienda . Reges igitur statim ubi summam potestatem nanciscebantur omnia foedera ab antecessore suo icta , et quorum continuatio civitati proderat , ne ea de re ullum dubium extaret , expresse confirmari ac renovari necessarium putabant . Sic legimus in mandato , quo Ordines Generales Belgii foederati legatos instruxerunt , qui anno 1702 ad Magnae Brittaniae Reginam , post mortem GUILIELMI III missi sunt : » De gemelde Heeren Ambassadeurs , sullen vervolgens hoogstged . hare Majesteit hertelyk bedancken voor de kragtige verseeckeringe , die deselve aenstonts , naer hare komste tot de Croon , op een extraordinaris wyse , aen haer Ho . Mo . heeft gelieven te geven , van hare vruntschap en van hare genegentheyt . . . . om de Tractaten en alliantien , tusschen de Coningen , van Groot Brittanien , haere Majts . praedecesseurs ,

en desen Staet aengegaen, te continueren en te verstercken, enz. <sup>1)</sup>.” Etiam Regina igitur civitatis, in qua potestas Regia legibus cohiebatur, tamen, Regno potita, foedera *continuavit*, et Ordines Generalis hanc continuationem acceperunt.

Animadvetere jam debemus, nostris temporibus controversiam illam, an foedus personale sit, utrum reale, non saepe orituram; quum hoc inquirenti statim certum fiet, vel ex verborum, quibus foedus constat, claritate, vel ex obligationis natura. Sed et aliud gravius monendum restat: GROTHI tempore, scilicet, et diu adhuc post eum, cardo hujus distinctionis in eo cernebatur, ut quaereretur an foedera auctoritatem statim amitterent, ubi Rex qui ea inicit, diem obierit supremum, nec ne? Personalium igitur vis et efficacia pendebant a persona naturali unius Regis, cum eo vivebant et moriebantur. Recentiori aetate vero ab una parte axioma illud Regem naturaliter numquam mori, sed here-

---

<sup>1)</sup> Vid. »Brieven van EVERHARD VAN WEEDE, Heer van Dijkveld, aan de Staten van Utrecht,” uit het Provinciaal archief medegedeeld door Mr. G. W. VREEDE in: »Tijdschrift voor de Geschiedenis van Utrecht 1849, pag. 207, 208.

dem statim in ejus locum succedere generaliter invaluit, ab altera, privata Regum commoda a publicis negotiis tam clare distinguuntur, ut vix mentio inveniri possit foederis, quod populum obligat, et simul cum unius tantum Regis vita siniatur: nostris diebus, si foedera ineuntur, quae personalium nomen mereri possunt, *persona* in illis intelligitur tota gens Regia, vel nonnumquam latius, Regium institutum in civitate; et regis mors ratione foederum nullius plane momenti est.

§ 5.

Inquirendum ergo nobis est, quaenam civitatis foedera cum Regia potestate in ea ita cohaereant, ut, hac eversa, evanescant, aut tales contineant obligationes quae Regi, quamquam dejecto, adhuc incolumes sint. Haec enim tamquam personalia, a populo post seditionem, quae Regem expulit, invocari non poterunt; dum ceteris, quae realia vocare possimus, fides debeatur, qualiscunque sit civitatis regiminis forma. — Aetate illa qua omnis regiminis forma eo fundamento nitebatur, ut Regia potestas ubicunque fere absoluta esset (quam doctrinam su-

periore capite exposuimus) et Reges ideo civitati praepositi fingerentur a Deo, ea lege ut omnia publicae utilitatis causa, nil autem adjuvante populo facerent, res ita accipi potuit, ut omnia, quae Regia potestas instituerat, caderent simulac illa potestas ipsa everteretur. Non mirari ergo debemus, quod scriptores illius temporis, talem hac de re sententiam proclamaverint, quasi foederum auctoritas ratione civitatis, quae Regem expulit, in suspenso esset, quamdiu adhuc dubitari posset, utrum populus Regem suum ejectum, majestate et imperio prorsus privare voluisse; omnia vero obligationis vincula solverentur, statim ubi manifestum foret, pristini Regis potestatem amplius omnino non agnoscere. Existimabant enim, civitatem, Rege pulso, ita mutatam esse, ut pro alia persona haberi deberet, atque ea quae foedus inierat: quia cum Rex potestate sua exutus sit, alterum corporis quasi membrum, non amplius in rerum natura haberi potest<sup>1)</sup>. Quaestio tum igitur unice agitabatur, an foedus vim suam servavisset ratione Regis pulsi, ita ut civitates

---

<sup>1)</sup> Cf. PAGEL, Diss. laud. Cap. IV, § IV.

confoederatae auxilium ipsi ferre deberent, ut potestatem rursus adipisceretur, vel alia praestare, quae ex stipulatione manarent <sup>1)</sup>.

Sed talis doctrina hodie generaliter admitti nequit, cum principale munus foederum in eo se habeat, ut populi jura erga vicinam civitatem describant, et primo loco in illis requiratur, ut populum utrimque obligent; reges autem in illis non aliam vicem obtinent, nisi ut populi sui personam referant. Civitas igitur, tamquam corpus morale, foedus initit, et quamdiu haec exstat, obligatio manet, neque refert utrum antiquam servaverit regiminis formam an novam instituerit: omnes Reges et magistratus qui ipsi praesunt, ita sibi invicem succedunt, ut aliis post alium populi personam referre habeatur, ubi cum exteris agat. Sic hodie Praeses reipublicae Gallicae locum occupat Regis Christianissimi, in omni conventione, in qua cum hoc Rege, tamquam populi Galici praefecto contractum est <sup>2)</sup>: et ad hoc

<sup>1)</sup> Vid. GROTIUS, qui Regem pulsum assimilat domino qui possessionem amisit, »de jure Belli et Pacis, S. II, Cap. XVII.

<sup>2)</sup> Foedere, in urbe *Campo-Formio*, die 17 Octobris 1797

genus referri possunt foedera navigationis et mercaturae, vel ea quibus deditio profugorum promittatur, aliaque. Videntur igitur foedera, quae in utilitatem populi icta sunt, quae populus cum populo pepigit, et in quibus Regis nomen et persona, externae tantum rei formae causa adhibetur, nil auctoritatis amittere, post conversionem internam alterutrius civitatis, quae Regem ejecerit vel reipublicae formam mutaverit. Non autem idem dicere possumus de omnibus iis foederibus, quibus populi sibi mutuum in bello auxilium promittunt; haecce omnino auctoritatem suam servant, post commutationem internam, si inita sunt a civitate populari regiminis forma gaudente; sed in monarchia aliud obtinet; quamquam enim talia foedera civitatis utilitatem spectent, in ejusque solius gratiam iniri deberent, usus inter gentes obtinuit ut in illis personae Regis adhuc ratio haberetur, et igitur fere semper regiminis forma et gens Regia tamquam elementum principale respice-

---

inito, art. 23, Reipublicae Gallicae, quoad ritus et honores, expresse eadem conceduntur, quibus Gallia, Regum tempore, fructa erat. — Cf. »Histoire générale, traités de Paix etc.” par le Comte DE GARDEN, Tom. V, pag. 419.

retur, ita ut mutatio majoris momenti in civitate, eorum auctoritatem tolleret, nisi expresse renovarentur: cujus rei causa haecce est, quod plerumque in foederibus hujus generis, Reges invicem sibi potestatem tuendam proponant, aut principes ejusdem gentis, sed diversis populis praepositi, civitates, quasi commune patrimonium, bello orto, jungere velint, aut alia ratio in illis exstat, quae tamen cum certa persona aliquid commune habet. Ut autem hac de re regula generalis proponatur, monere debemus, semper inquirendum esse, utrum foedus initum sit cum civitate tamquam hominum societate, an tamquam coetu civium, certo Regi, certaeque regiminis formae obediente<sup>1)</sup>. Si prior obtinet ca-

---

<sup>1)</sup> Foederum, quae certam regiminis formam respiciunt, exempla habemus in patria nostra; 1<sup>o</sup>. foederis 15 Aprilis 1788:  
»Par l'article 3 de ce traité la Grande Bretagne garantit le Stadhouderat héréditaire dans la maison d'Orange, avec toutes ses charges et prérogatives, comme faisant partie essentielle de la constitution des Provinces Unies." Cf. DE GARDEN, I. I. Tom. V, pag. 79. — 2<sup>o</sup>. Foederis 16 Maii anni 1795 art. I.  
»La République Française garantit à la République des Provinces Unies.... l'abolition du Stadhouderat, décretée par les Etats Généraux." — Cf. »Histoire abrégée des traités de Paix etc." par KOCH, tom. I, pag. 160.

sus, nil refert, quomodo haec societas instructa sit, et igitur mutatio in ea nullum momentum exercere potest, ut talis foederis auctoritas tollatur; si autem posterior exstat, Rege pulso, vel mutata regiminis forma, totum foederis aedificium corruet. Rem ita multis exemplis ex historia rerum gestarum illustrare possumus. Si spectemus notissimum illud foedus inter Galliae et Hispaniarum Reges, auspice celeberrimo administro DE CHOISEUL initum, quod vulgo *Pacte de famille* vocatur, videbimus principes promittentes ut sibi invicem auxilium praestarent si alterutri bellum inferretur; sed simul argumentum hujus foederis nobis ostendit, hoc promissum tantum factum fuisse quia in utraque civitate Princeps e familia Borbonica Regiam sedem occupabat; legimus enim: »Les liens du sang qui unissent les deux monarques de France et d'Espagne ont engagé L. L. M. M. Très Chrétienne et Catholique de conclure un traité sous la dénomination de Pacte de famille, dans le but de rendre permanents et indivisibles pour L. L. M. M. et leurs descendants et successeurs les devoirs qui sont une suite naturelle de la parenté et de l'amitié qui les

unit<sup>1)</sup>." Galli igitur, post nefandam Regis LUDOVICI XVI necem, democraticam regiminis formam instituentes, nullum habuerunt jus ut praestationes quae ex hoc foedere manabant, ab Hispanis exigent: Galliae causa enim foedus multo minus initum erat, quam quia Reges Galliae et Hispaniarum communem avum LUDOVICUM XIV habebant.

Alterius generis exemplum nobis praebet foedus Parisiense anni 1814, sequenti anno Vindobonae ampliatum: in hoc quidem videmus fere omnes Europae civitates certis principibus concessas, foederis causa autem in eo erat, ut aequilibrium Europae, id est justa et aequabilis singulorum populorum vi- rium distributio, quae, grassante dominatione Napoleontica, fracta erat, restitueretur<sup>2)</sup>. Jam mutatio interna horum populorum, aequilibrium non vitiat, et inde foedus ipsum violatum dici non potest.

§ 6.

Quaeritur autem saepe an foedus ejus generis

<sup>1)</sup> Cf. MARTENS, "Recueil des traités etc." Tom. I, pag. 1.

<sup>2)</sup> Cf. MARTENS, l. l. Supplement, Tom. V, pag. 379 sqq.

quod primo loco exposuimus, quodque revera personale vocare possemus, post civitatis conversionem, eodem modo effectum amittat ratione Regiae gentis, nec ne, et ita contrahentes obliget ut Regem pulsum vi armorum in regnum restituant? Natura personalium foederum in genere ea est, ut auctoritate careant, statim ubi alter contrahentium Regno privatur: ambo enim in contractu spectabantur persona et Rex. Sed ab altera parte hoc argumentum occurrit, quod socio auxilium negari non possit, quum maximopere hic eo indigeat: deinde Rex majestate non privatur, si potestas ejus, forsitan ad tempus, ab alio usurpetur. Sed tum confoederata civitas inquirere deberet utrum Rex usurpatione quadam pulsus esset, an revera populus jure suo usus fuerit? Utraque pars autem causam suam justam contendet, et quis tum audebit »tantas componere lites?» Haec enim rerum compositio insuper cruento bello fieri deberet, quod vitari humanitatis salus jubet. — Illa restituendi Regem obligatio igitur neganda nobis videtur si regiminis forma revera jam re et facto mutata est, ita ut novus rerum ordo exstet, »si c'est un fait accompli,» ut hodie rem vocant. Tum enim

populus causam Regis injustam statuisse habetur, et extraneus, vel etiam socius ulterius judicium interponere nequit. Socium Regem autem teneri, diceremus, ut auxilium ferat, si periculum expulsionis alteri tantum immineat, et factio populi regiminis formam mutare tentet, contra aliam partem antiquae constitutioni fidelem: tum enim cives seditiosi sunt hostes interni qui civitatis integritatem aggrediuntur, et confoederati promiserunt ut omnes hostes communiter impugnarent et ita imperii sui integritatem invicem servarent: praeterea bellum vitiari aut finiri tali modo poterit, dum novum certe inde non orietur: deinde Rex non tantum majestate sed potestatis suae parte adhuc gaudet, et populus legitime de jure Regiae causae pronuntiare nondum potuit. Vix opus est ut moneamus hoc auxilium semper deberi, si foedere expresse promissum est, aut haec obligatio ex ejus argumento aperte effici potest; uti in foedere quod anno 1815, praeëuntibus Imperatoribus Russiae et Austriae et Rege Borussiae, fere omnes Europae principes inierunt, quodque »*Sainte Alliance*» vocarunt: hoc enim promiserunt ut sibi invicem tamquam fratribus auxiliarentur, et

ejus argumentum principale in eo videmus, ut omnis commotio popularis junctis viribus comprimetur. Contrahentes enim illud foedus pangentes regiminis formae conversionem praeviderunt, eique occurrere voluere.

Sed illa rerum domesticarum alienae civitatis cura multo magis pendere solet a singularum gentium proprio commodo, quam a fide quae foederibus debetur. Sic, ut de recentissimo tantum tempore loquamur; anno 1830, nullus Princeps fratri succurrebat, quia omnes in sua civitate seditionem timebant, et insuper bellum universale gravissimum imminebat. Et contra, anno 1849, Galli sponte sua, Rempublicam Romanam everserunt, quia haec Principem suum turpiter expulerat: Russorum Imperator innumeras copias in Daciam misit, multo minus, ut vicini Principis saluti consuleret, quam quia regiminis formam democraticam prope Russiae limites sinere noluit.

§ 7.

Tertia status mutatio ea est, quod in altera civitate quaedam provinciae a Republica decadant, et

populus fiant sui juris. Haec eodem modo fere semper oritur, ac ea quam supra tractavimus, ex populari nempe seditione, sed ratione extraneorum multas graviores sequelas habet. Regiminis formae enim conversione, civitas una eademque persona manet ratione ceterarum gentium: sed si pars populi deficiat, et separatim imperio et institutis gaudeat, omnis necessitudo inter gentes nonnumquam corruit, deficiente basi qua nitebatur, justaque et aequabilis populorum distributio saepe evanescit. Talis generalis rerum ordo ex descissione oritur, qui difficultatem praebere potest omnibus civitatibus, quibus etiam indirecte haec mutatio alicujus est momenti: sed hoc magis ad rerum politicarum scientiam quam ad jus gentium pertinet, de eo agitare igitur non est nostri argumenti. Inquiramus autem quid haec scissio contra foedera possit, quae extraneus specialiter cum imperante civitatis adhuc integrae inivit, ratione tum partis quae defecit, tum ejus a qua provinciae desciverunt.

Omnis juris gentium scriptores in eo conveniunt, quod extraneus populus, qui in bello provinciae deficientis cum pristina patria non interveniat, flagrante

hoc bello , erga utramque partem jus neutralitatis observare possit et debeat; navibus et civibus utriusque aequalem tutelam debet, et quidem secundum praecepta juris gentium de officiis civitatum , quae in bello neutri parti favent: donec enim extranei deficientes provincias uti sui juris populum agnoverint , bellum quod geritur, est res civitatis domestica, novus rerum ordo non exstat, et cives seditionis adhuc subditi haberi debent ei imperio quocum aliae gentes contraxerunt. Si autem parti alterutri auxilia mittuntur , altera pars fit hostis communis , et quasi talis tractari debet.

Sed statim ubi provinciae quae desciverunt, ut civitas sui juris agnoscantur, novum nascitur corpus morale, et persona exstat cuius mentio antea non inveniebatur. Nobis jam videntur foedera inter pristinam civitatem et extraneum populum icta, ad novam civitatem tacite produci non posse et igitur ratione hujus vim suam et efficaciam plane amittere. Foedera enim inita sunt cum integra civitate, et si provincias, postea deficientes, obligaverunt, iisque lucrum praebuerunt, hoc tantum fuit, quia haec una cum pristina patria in numero civitatum habebantur:

cives in illis provinciis plane iidem manserunt, sed tamquam corpus morale unice habebantur quatenus eum reliquis civibus una eademque regiminis forma gaudebant. Haec autem societas, ratione illorum qui desciverunt, prorsus interiit; agnitione jam nova oritur libera gens, sed quae antea quasi talis numquam exstiterat, cum ea igitur agi olim non poterat, et quae cum pristina civitate pacta sunt, ratione novae sunt res inter alios actae<sup>1)</sup>. Exceptio tamen admittenda est, circa foedera, quibus pars territorii promissa et inde tradita est: traditione enim facta jus in re natum est, quod terrae inhaeret, neque personam contrahentis curat: idemque dicendum erit de omnibus iis foederibus quae territorii potius quam populi causa inita sunt. — Civitates igitur quae desciverunt omnia foedera, quae pristina patria adhuc integra cum extraneis inierat, renovare solent, aut postea nova pangunt: et hoc fit vel ipso actu, quo tamquam liberae agnoscuntur, vel solito modo et ac si numquam contractus exstiterat. Sic Belgium

---

<sup>1)</sup> Cf. u. FAGEL, Diss. laud. Cap. IV, § 14 et u. WHEATON, l. l. Parte I, § 10.

hodiernum, postquam anno 1830, ab Hollandia defecerat, et ab omnibus Europae gentibus uti civitas sui juris agnita fuerat, omnia fere foedera quae ante Rex GUILIELMUS I inierat, renovavit: et in his multa fuere, in quibus ceteroquin nulla regiminis formae ratio habetur, ut ea quae jus hereditatis capienda extraneis eodem modo constituunt ac Belgis, et ea quibus jus *Albinagii*, census emigrationis, ceteraque similia abrogantur. In quibusdam eorum insuper legere possumus stipulationem, ut antiquum foedus expresse continuatum haberetur inde a momento quo Belgium ut civitas sui juris stetit, usque ad novum foedus ictum<sup>1)</sup>). Praeclare exemplum etiam praebet foedus inter eundum populum et Imperato-

---

<sup>1)</sup> *Déclaration échangée entre la Belgique et les Deux Siciles, fixant les conditions de la transmission des biens dans les deux pays, art. 3.* »L'Abolition du droit d'Aubaine devra être regardée *continuée sans interruption*, à l'égard des sujets de s. m. LE ROI des Belges et à l'égard des sujets de s. m. LE ROI du Royaume des Deux Siciles, depuis le moment de la séparation du Royaume des Pays-Bas, des provinces qui composent aujourd'hui le Royaume des Belges, etc.” data die 6 Octobris 1834. — Cf. Recueil des traités et conventions, concernant le Royaume de Belgique, par D. DE GARCIA DE LA VEGA, pag. 68, Brux. 1850.

rem Brasiliae anno 1834 dictum; hoc scilicet unum tantum continet articulum, qui foedus anni 1828 cum Rege GULIELMO initum, ratione Belgii hodierni expresse confirmat et tuetur 1).

§ 8.

Nonnumquam autem evenit ut provinciae ab imperante, et communi civitate deficere videantur, dum revera regiminis formam tantum mutent, Regem expellentes, quem cum alia civitate communem habebant, nullo ceteroquin vinculo existente. Ut, verbi causa, patria nostra cum Hispaniis numquam juncta fuerat, neque aliud vinculum cum illa exstabat, nisi quod Rex Hispaniarum CAROLUS V, etiam omnibus Belgii provinciis praeerat, titulo Comitis, Ducis, aliove. Sic etiam Polonia, secundum foedus Vindobonense anni 1815, diversam a

<sup>1)</sup> Traité d'amitié, de commerce et de navigation, conclu entre la Belgique et le Brésil, du 22 Septembre 1834; art. 1: »Le traité... conclu entre le Royaume des Pays-Bas et le Brésil sous la date du 20 Decembre 1828, est expressément maintenu, entre les sujets Belges et Brésiliens" etc. — Cf. 6. DE LA VEGA, I. 1. pag. 62.

Russia regiminis formam habet <sup>1)</sup>, quamquam Russorum Imperator etiam sit Rex Poloniae. Jam si vinculum, quod tales civitates cum alio quodam populo conjungit, frangatur, non nova oritur juris gentium persona; eaque rerum mutatio non alio modo respici potest, ac si Rex qualiscunque pulsus esset. Foedera igitur quae Princeps, nomine ejus gentis inierat, auctoritatem servabunt aut corruent, secundum rationem, quam supra tradidimus. Insuper autem moneamus, Regem, qui ita diversis gentibus praeerat non semper duplex suum officium accurate distinxisse, foedusque evanescere, si causa ejus, hac duorum populorum conjunctione nitebatur.

Exemplo nobis sit foedus anno 1544 a CAROLO V cum Diae Rege Spirae ictum: quo ille quaedam privilegia, Amstelodamensibus praebenda stipulatus est. Cum Belgicae provinciae se a vinculo cum Hispaniis liberaverant, Diae Rex nostri foederis auctoritatem negabat, quia cum Hispaniarum Regis

---

<sup>1)</sup> Qnamquam enim in illo foedere legamus, »La Pologne est réunie à l'Empire Russe,« e lege  $\frac{17}{18}$  Novembris 1815, satis effici potest Poloniā, in jure Gentium, personam esse, a Russia probe distinguendam.

subditis contraxerat. Nostrates hanc sententiam re-  
cusaverunt, et inde magna controversia. Jam si  
foedus ipsum inspiciamus, apparebit CAROLUM pri-  
vilegia, de quibus locuti sumus, stipulatum fuisse,  
nulla ratione habita Hispaniarum, sed tantum Belgii  
causa; sed eo tempore bellum flagrabat GAROLI cum  
Galliac Rege FRANCISCO I, et Daniae Rex huic auxi-  
liabatur; in Dania contra bellum civile gerebatur  
inter CHRISTIANUM III et CHRISTIANUM II. Foedus  
autem initum nobis fuisse videtur, ut Daniae Rex  
e Gallica societate decederet, CAROLUS contra CHRIS-  
TIANUM III ut unum legitimum Daniae Regem agnos-  
ceret. Hic igitur privilegia tantum concessit, ut a  
Rege Hispaniarum, Imperatore Germanico agnoscere-  
tur, a Belgis agnosci paulum curabat. Ab hacce ergo  
parte, dicere possumus, promissum unice niti magna  
potestate ejus, qui tunc temporis in patria nostra reg-  
nabat: ideoque foedus ratione patriae nostrae personale  
fuisse et cum Rege Hispaniarum e nobis decessisse.

§ 9.

Videndum jam de ea pristinae civitatis parte, a  
qua provinciae desciverunt, et quae ideo vetera

instituta servavit; ratione hujus, scilicet, foedera, ipsa hac defectione, nil auctoritatis suae amittunt: civitas enim statu non mutata est, eadem persona mansit, quae contraxit, et vi majori tribuendum est, quod pars territorii et incolarum defecerit. Adsimilari debet privato, qui postquam contractum inierat, partem dominii perdiderit; huic enim jura et obligationes ex illo contractu nata integra manent. Sic civitati quae foedus pepigit, jus oritur ad rem, id est jus petendi ab altero contrahentium, quod hic promiserit; hoc autem jus manet quamquam opes et potentia alterius minuantur. Sola igitur descissio, nisi occasione ejus alia causa intercedat, foedera non tollit.

§ 40.

Denique nobis restat ut videamus de auctoritate foederum, quum civitas, quae ea inivit, intereat; id est, quum sponte sua, aut vi armorum coacta libertatem amittens, sub imperium ditionemque alterius se dederit, et ita cum alio populo conjuncta sit, ut ab eo amplius distingui non queat. Hocce casu persona quae contraxit non amplius in

rerum natura adest, et nemo ipsi successit, nam civitas cui subdita fit, accipit tantum territorii ejusque incolarum incrementum; obligationes igitur, quas illa juris gentium persona antea susceperebat, ideoque solvere debet, cum ea interierunt. Sic foedera quibus societas ad quoddam objectum inita est, vel quibus genti exteræ quaedam praestationes promittuntur, vim atque auctoritatem plane perdiderunt. Foedera autem quibus jus in re alii concessum fuerat, etiam hic omnem effectum suum servant; haec jura enim non amplius erant in potestate civitatis subditæ, aliisque populus hanc sibi adjungere non poterat, nisi illam potestatis diminutionem simul admiserit. Quod attinet aes alienum, quod civitas, de qua agimus, antea contraxerat, utpote magis jure civili quam jure gentium nitens, agnosci debet a novo imperio, quasi a se debitum. Illa pecunia enim adhibita est, ut civitas servaretur vel augeretur, ideoque in rem civitatis versa habetur, et quem sequuntur commoda cujusque rei, eum etiam sequuntur incommoda <sup>1)</sup>.

---

1) In plerisque foederibus de aere alieno expresse cautum est:

Hisce igitur dubia quae ex conversione civitatis interna ratione foederum auctoritatis orientur solvimus: omnes fere eventus, quos indicavimus, nulla foederum ratione habita nascuntur, ideoque ab hac parte casui fortuito tribui debent. Aggredimur jam aliud genus causarum, ob quas foedera vim amittant, quae autem plerumque dolo vel culpae unius vel utriusque contrahentium debentur.

specialis ita occurrit conventio Austriae Imperatorem inter et Regem GUILIELMUM, de aere alieno quod Belgium, olim Austriae, contraxerat; die 11 Octobris 1815. — Cf. MARTENS, »Recueil» etc. «Supplement.» Tom. VI, pag. 660. — Sic etiam in foedere 19 Aprilis 1839, art. 13, quod autem secuta est specialis conventio inter Reges GUILIELMUM II et LEOPOLDUM, die 19 Julii 1843. — Cf. G. DE LA VEGA, l. l. pag. 105 et pag. 331.

## CAPUT TERTIUM.

QUID INJURIAE CONTRAHENTIUM FACIANT  
NEC NE, AD TOLLENDAM FOEDERUM  
AUCTIONATATEM.

§ 4.

Foedera, quae a Regibus et populis ineuntur, obligationem pariunt perpetuam, vel ad certum tempus definitum prouti hoc in ipso foedere fuerit expressum; longe autem abest, ut huic obligationi satisfiet per omne id spatium ad quod contracta est. Veteres amicitiae enim, pax, ceteraque necessitudines, quas contrahentes sibi perpetuas pro-

posuerant, mutatis temporibus, commodo privato, dominandi cupidini vel novi amici consiliis, raro resistunt. Foedus inde alteri contrahentium onerosum fit, et si legitimo modo rescindi non potest, quia alteri adhuc utilitatem praebet, iste auctoritatis ejus finem vi imponere conabitur, promissum suum sine ullo jure revocans, aut obligationes sibi onerosas aperte violabit: nonnumquam etiam, justitiae specie, foedus violatum dicere cupiet aliquo alterius facto, ut ex hac violatione utilitatem sibi capere possit, et a sua parte obligationibus satisfacere jore deneget. Ab alia parte inter gentes non semel lis orta est, cuius objectum quidem non erat in foederibus inter illas vigentibus, sed quae bello dirimebatur; hoc autem eorum foederum effectum saepe impedit ad certum tempus, vel ex sua natura eorum auctoritati futurae plane obstat. Uterque autem casus, quem modo attigimus, violatio, scilicet, et bellum ortum inter gentes, controversiae saepe locum dedit, eumque hic latius exponere et ratione nostri argumenti inquirere cupimus.

§ 2.

Omnis juris gentium contractus natura ea est, ut si alter contrahentium obligationem suam non obsequatur, alteri in genere liceat eum constringere, aut a sua parte promissis antea factis non stare. Cujus regulae causa in eo se habet, quod uterque se tantum obligavit tacita hac conditione, ut alter promissum suum servaret; jam si hic deficiat, neque compellatur, alterius promissum quasi non datum haberi debet, et ipsa obligatio, per defectum conditionis sub qua inita fuit, resolvi potest. Grave igitur omnino est momentum talis violationis erga vim et auctoritatem foederum: haecce autem ipso jure effectum penitus amittere, quam unus contrahentium stipulationes transgressus fuerit, generaliter dici nequit. Stipulatio enim, quae violata est, fortasse non ita ponderosa fuit, ut ea sublata, omnis consensus deficere dici possit, vel diversi foederis articuli non ita inter se cohaerebant, ut unus sine alio stare non possit, vel denique talis foederis extinctio detimento erit populo violatione laeso, cui tamen subveniendum est, dum alter ex

suo dolo lucrum capere non possit, foedus abrogatum contendens, quod ipse violaverit. Sed ex ea violatione jura tamen quaedam nascuntur alteri parti quae indicanda nobis restant. Antequam autem de violationis effectu quid agemus, necessarium est, ut quaedam de ipsa violationis natura praecedant; haec enim quando extaret, saepe controversiae causam praebuit. Nullus scilicet Rex vel etiam maximam potentiam nactus, perfidia tam aperta egit, ut omnibus renuntiaret se foedus violaturum, sed turpissimae hujus actionis speciem saltem alteri imputari tentabit, ideoque quocumque socii factum, injustam aggressionem vocabit ex eoque jus sumet, obligationem rescindendi; vel contra, ambigua et obscura foederis stipulatio ansam ipsi praebebit, ut tamquam justam doceat actionem quae tamen revera contractus naturae et indoli aduersetur. Constituamus igitur quando foedus violatum dici possit, ut postea indicemus quaenam jura inde manent.

§ 3.

Foedera, uti jam antea vidimus, leges haberi de-

bent ratione popolorum quos obligant; de iisque etiam cum jurisconsulto dicemus »non oportet earum verba tenere sed vim atque potestatem<sup>1)</sup>.» Spectetur ergo imprimis quaenam fuerit contrahentium mens, et qualis ita obligatio sit ab utraque parte, quatenus hoc quidem ex verbis effici possit, nam ubi haec clara et aperta inveniuntur, et sic nullum dubium exstat, alia significatio e mente contrahentium ipsis quaeri non licet; si enim verba illorum voluntatem non recte exprimunt, ipsi habent quod sibi impudent, quia apertius loqui poterant. Si autem revera stipulationes ambiguæ sunt, mens contrahentium effici debet e verbis secundum regulas ad contractuum interpretationem ab omnibus juris gentium scriptoribus constitutas<sup>2)</sup>: illisque adhibitis fere semper apparebit quaenam sit foederis vis et efficacia, et quousque igitur obligatio ab utraque parte tendat. Bona fides autem requirit ut aliquis foedera explicare non possit contra rationem harum regularum,

<sup>1)</sup> CELSUS in lege 17 D. D. de legibus (liber I, Tit. III).

<sup>2)</sup> Cf. n. WHEATON, I. 1. Parte III, Cap. II, § 17. — VATTEL, I. II, C. XVII. — GROTIUS, I. 1. lib. II, Cap. XVI.

quas omnes agnoscunt. Quum ita inter partes constet quidnam quisque debeat, manifestum est, ut contrahentes qui dolo aliquid contra hanc suam obligationem agant, aut non faciant id ad quod tenentur, jus suum egreditur et foedus violent. Sed tale factum aut omissio fiat a contrahentibus ipsis, id est, a populo, aut ab iis qui summam potestatem in civitate exercent, ideoque populi personam referre habentur, vel ab alio, legitimo et speciali mandato ad hoc instructo. Non sufficit igitur ut excercituum, navium vel classium duces, magistratus in provinciis vel alii officiales, expresso mandato ad hoc non instructi, aliquid faciant aut jubeant, quod foederis existentis stipulationibus aduersetur. Tale factum et damnum inde natum certe resarciri debet, quum populus eo laesus hoc requirere velit; hic autem, ipsa hac re foedus pro violato habere non poterit, et, antequam alter officio suo satisfacere negaverit, ceteris juribus, quae postea indicabimus, carebit. Populus aut Rex enim praesumi non possunt voluisse aut jussisse omnia quae inferiores magistratus aut praefecti, a Regni sede fortasse longe remoti, fecerint: hi saepissime in gravis

simis rebus suo marte agunt, quia vel revera officium suum egrediuntur, vel temporis spatum deest, ut specialia superiorum mandata expectari possint. Jam si Rex talia facta postea improbaverit, et res in integrum restituere velit, nemo eum injuria egisse dicet. Nemo sic contendere velit necessitudinis vincula, quae Galliam inter et Angliam exstabant, fracta fuisse, quia anno 1843 quidam Gallicae navis praefectus aliquid fecerat quod amicitiae harum gentium non congruebat; sed hoc in insula maris Placidi, Otaüti, et in casu quem summi Galliae magistratus praevidere non poterant: hic praefectus mandati fines egressus erat, ideoque Gallia hujus actionis conscientia haberi non poterat, quum insuper deinde omne damnum, ex illa injuria natum, resarcitum est.

Ut igitur foedus violatum habere possimus a contrahente, necessarium est ut hic mandatum dederit ad quid faciendum quod justae obligationi adverseatur 1): aut injuriae restitutionem denegans, inferioris actionem quasi ratam habeat, et suam ita faciat.

---

1) Tale mandatum omnino generaliter dari potest; ita,

§ 4.

Saepe autem dubitatum est, an foedus violatum haberi posset, si unus contrahentium stipulationes ejus nondum plane et aperte transgressus fuerit, sed tamen ex ipsis actionibus suspicio satis firma effici possit, cum animum habere socium fallendi?

PUFENDORF hanc suspicionem merito distinguit ratione temporis quo orta sit; si, scilicet, jam exstitit eo momento quo foedus contractum est, nemini quidquam juris praebere dicit; nam contrahentes qui alias gentis bonam fidem suspicabantur, consensu suo, utrumque dato foederi, omne vitium quod ex illa suspicione adesse poterat, sustulerunt: omnique juri posteriori ob eam causam renuntiasse habentur. Idem autem aliam tuetur sententiam de suspicione orta post conventionem initam, et damni antevertendi causa populo jus concedit foedus pro violato

---

verbi causa, magistratus supremus in India nostra orientali jure gaudet suo marte belli indicendi, pacis fereundae, cet.: et ita patria nostra actionibus ejus tenetur. Cf. »Besluit omtrent het beleid der regering in Nederlandsch Indië dato 20 Feb. 1836;» art. 22—23.

habendi, si ipsi persuasum est, socium cum alterius detimento ab obligatione sua recedere velle. Hanc viri docti sententiam nostram facimus: addere autem velimus, istam persuasionem non merae socii opinione sed argumento, ex quadam actione petendo, nisi debere: fallacia effici debet ex quodam facto, quod violationis conatum, saltem remotum, appellare possemus, cuius generis, verbi gratia, est mandatum, quo legatus instructus est, ut foedus cum alio populo ineat, anteriori foederi contrarium, vel jussum ad militarem ducem, vel magistratum in provinciis missum, ut aliquid agant, quod conventioni obstet, aliaque similia<sup>1)</sup>. Tali casu occurrente, bona fides non requirit, ut alter populus exspectare debeat, donec revera haecce peracta sint; quum alter perfidiae jam obnoxius sit voluntate foedus violandi, quae actione externa apparuit.

---

<sup>1)</sup> Ita egit Borussiae Rex FREDERICUS II, quum in bello de successione Austriaca socios dereliquit et pacem cum MARIA THERESIA seorsim condidit; quia litteras Cardinalis DE FLEURY intercepit, (ut ipse saltem affirmat) ex quibus violationis suspicio satis firma effici poterat. — Cf. »Histoire de mon temps« Vol. I, pag. 196; — et von DOHN »Denkwürdigkeiten meiner Zeit« T. IV, p. 172.

§ 5.

Videamus jam quid facere possit laesa pars, si casus exstet quem modo indicavimus, et foedus ideo violatum sit? Monuimus violatorem compelli posse, ut adhuc faciat aut restituat, quod injuria omiserit aut egerit: sed quod in jure privato actione fit coram judice, in jure gentium non nisi bello et vi armata perficitur, et quia haec laesae parti saepe adhuc majus damnum praebebunt, illa alio jure potius utetur, a sua parte, scilicet, obligationem non exsequitur: sed a quibusnam obligationibus ipsi ita recedere liceat, non semper liquet.

GROTIUS de hac quaestione putat, a toto foedere recedi posse, si alter contrahens unam, vel etiam minimam, stipulationem ejus transgressus fuerit, argumentum afferens quod omnes foederis articuli sibi invicem vim conditionis habeant<sup>1)</sup>. Cum hocce facit VATTEL, qui autem putat unius foederis violationem, nullum effectum habere circa vim et auctoritatem ceterorum foederum quae eaedem civitates

---

<sup>1)</sup> GROTIUS, I. I. lib. II, Cap. XVI.

contraxerant, quia eadem ratio, hocce casu non invenitur <sup>1)</sup>. KLUBER adhuc majorem vim tribuit violationi, dicens: »Les traités cessent d'être obligatoires, par la defection de l'une des parties, qui refuse l'exécution du traité en question, ou même d'un autre tout à fait différent <sup>2)</sup>” Alii contra tum demum foedus violatione tolli aiunt, si violatum est ea mente ut tolleretur.

Nobis autem videtur generalem normam hac de re effici non posse ex eo, utrum stipulationes unanimo vero diversis foederibus contineantur: hoc nil ad rem referre putamus. Obligatione enim contracta, ab utraque parte jura alienata sunt, jam si altera pars promissis non stet, haecce jura, aut quedam eorum, tamquam sua adhuc spectans, altera idem facere potest: quamquam vero ea, quae uterque concessit fere semper aequalia sint, aut saltem ratione temporum quasi talia haberi debeant, longe tamen saepe abest, ut statim aequiparari possint: inquiratur ergo primum, quidnam alter con-

<sup>1)</sup> VATTEL, I. I. lib. II, C. XIII, § 201.

<sup>2)</sup> KLUBER, I. I. Tom. II, Sect. I, C. II, § 165.

cesserit contemplatione promissorum alterius, ut  
inde appareat a quanam obligatione recedere possit.  
Verbi causa, alter concessit jus navigationis in quo-  
dam flumine, quia alter auxilia in bello promiserat;  
jam si auxilia, bello orto, non mittuntur, jus navi-  
gationis non debetur. Apparet igitur jus laesi po-  
puli multo magis effici debere ex natura stipulatio-  
num, quam ex foederum numero: obligationes enim  
maxime connexae in diversis conventionibus occur-  
rere possunt, dum in uno eodemque foedere articuli  
inveniantur nullo vinculo inter se conjuncti. Exem-  
pli rursus nobis sit foedus Vindobonense anni 1815;  
in ipso invenimus, juxta descriptionem civitatum Eu-  
ropaearum, stipulationes de jure navigandi in flu-  
minibus, quae duas pluresve civitates perfluunt, sic  
etiam de restitutione bello spoliatis tribuenda <sup>1)</sup>). Nemo  
vero contendere velit, omnes populos a toto ipso  
foedere recedere posse, et foedus ideoque corruere,  
quum talis restitutio non praestetur. E contrario,  
multae conventiones quarundam civitatum secutae  
sunt foedus de quo agimus, modum navigationis

---

<sup>1)</sup>) Vid. foederis art. 83 et 107.

constituentes, quae autem omnes nituntur basi Vin-dobonensi <sup>1)</sup>. Ab hisce autem recedi posse nobis videtur, si prior obligatio violetur; quia recentiores conventiones ex illa ortae sunt, et sine illa stare non possunt: nihil autem refert quod ea de re in di-versis foederibus pactum sit. Ante omnia ergo vi-dendum erit, si aliquis populus stipulationes vio-laverit, quidnam laesa pars promiserit, ut obtineret id quod e stipulatione, postea violata, sibi debere-tur; ab isto autem promisso recedens, nulli per-fidia obnoxia dici poterit. Promissa ista autem non strictissimo sensu accipi debent, sufficere putamus ut ejusdem sint generis, atque ea quae non servan-tur: ita ut laesa pars recedere possit ab omnibus quae ratione navigationis, mercaturae, vel privilegii in vectigali solvendo promiserat, si stipulatio vio-latur, qua alter quidquam de hisce concesserat.

Animadvertisimus autem, saepc difficillimum esse, varias foederum stipulationes ita discernere, ut con-trahentium obligationes et promissa, quaeque pro

---

<sup>1)</sup> Ut Convention de Mayence du 31 Mars 1831. Cf.  
DE LA VEGA, »Recueil etc." pag. 30.

rata parte dividi possint, et sic appareat, a quibusnam recedere liceat alteri, violante uno; laesa pars enim saepe inter omnes nexus invenire velit, ut sic a quamplurimis obligationibus liberetur. Tali casu non negabimus quodammmodo normam quaeri posse ex illo an stipulationes uno eodemque foedere comprehendantur, nec ne; nam si ex horum inscriptione aut argumento etiam non constet, an omnes articuli ejusdem sint generis, ex eo tamen quod eodem tempore contrahentes promiserunt, magna praesumptio orietur, eos consensum dedisse singulis articulis, ita ut illorum connexus observaretur: tum autem omnes evanescunt, si unus eorum effectum nactus non erit.

§ 6.

Sed omnes Reges rem non ita intellexerunt, quasi nos eam tradidimus: historia rerum gestarum in patria nostra, ad finem saeculi XVIII (ne de aliis loquamur), nobis praebet exemplum Regis, qui ex vera vel ficta foederum transgressione facultatem sibi sumpsit, quae regulis juris gentium ab omnibus admissis adversatur. Magnae Brittan-

niae Rex scilicet, bellum gerens contra partem subditorum in coloniis Americanis, auxilia postulavit ab Ordinibus Generalibus Belgii Foederati, ad societatem provocans, quae secundum foedera anni 1678 et anni 1716 inita erat; nostrates autem contendebant casum foederis eo tempore non adesse, et revera nihil praestiterunt. Rex autem hac negatione Ordines e societate decessisse dixit, ideoque decreto 17 Aprilis 1780, omnia foedera cum Republica antea inita, ad tempus effectu privavit. Isto autem facto juris sui limites sine dubio egressus est; si enim admittamus (quod tamen omni dubio non caret), Rempublicam nostram revera auxilium debuisse, Magna Brittannia nihilominus recedere tantum poterat ab obligationibus, illo foedere susceptis, quo de auxilio actum est, ceterae autem integrae servari debebant: insuper, foederum effectum differre, uti Rex fecit, est effectum tollere ad quoddam tempus, quod pro lubitu unius contrahentis protendi potest, uti Rex ipse dixit »Les traités sont suspendus, jusqu'à ce qu'il nous plaise que le contraire soit formellement signifié." Tale autem jus nemo sibi recte tribuit, et igitur ista Regis actio sine injuria voca-

bitur, fidei quae omnibus foederibus debetur, aperta illusio<sup>1)</sup>.

§ 7.

Quum sic quasdam quaestiones tractavimus quae circa foederum violationem nasci possunt, monere adhuc debemus, recentiori tempore populos plures earum in foedere ipso praevidere et sic omne dubium jam pridem tollere: Sic, ut exemplo utamur, in foedere a Rege nostro cum Gallia, anno 1840, icto, legere licet, omnes stipulationes spectandas esse, conexu inter illas observato<sup>2)</sup>. Eandem stipulationem invenimus in foedere cum Rege LEOPOLDO, anno 1842, pacto, cuius art. 74 monet »Les dispositions du présent traité forment un ensemble et n'admettent point de séparation<sup>3)</sup>:” et ita difficultas, a quibusnam foederis stipulationibus recedere liccat, viola-

<sup>1)</sup> Cf. hac de re CH. DE MARTENS »Nouvelles causes célèbres du droit des Gens“ Cause deuxième. Tom. I, pag. 113, Lips. 1843.

<sup>2)</sup> Vid. MURHARDT, »Supplément à la collection DE MARTENS“ Tom. I, pag. 216.

<sup>3)</sup> Cf. G. DE LA VEGA »Recueil etc. pag. 253.

tione subsecuta, evanescit. In celeberrima illa pace Osnabrugensi, anno 1648 inter Germaniae Imperatorem et Galliae Regem inita, stipulatio occurrit, ne contrahentes, arma capere aut a pace recedere possint, statim ubi unus eorum foederi quidquam contrarium faciat, sed ut restitutionem postulare eamque per triennium exspectare debeant<sup>1)</sup>. Haec et alia foederum munimenta saepissime occurrunt<sup>2)</sup>.

<sup>1)</sup> Cf. DE BOUGEANT, *Histoire du traité de Westphalie*" Tom. III, pag. 624.

<sup>2)</sup> In foedore, quo induiae duodecennales ineuntur, nostrates inter et Hispanos (icto die 9 Aprilis anni 1609), legimus: »art. XXXI. Indien eenige contraventie van dit Bestant ghedaen ware deur eenige particulieren, sonder bevel van den voorsz. Heeren Coningk, Eertzhertoghen, ofte Staten, die schade sal worden gherepareert ter zelver plaetse daer de contraventie sal wezen ghedaen, indien sij aldaer werden aghterhaelt, of te wel tot hare woonplaetse, sonder dat sij luyden elders souden moghen vervolgh worden in hare lichamen ofte goederen in wat manieren dattet sij. — Ende en sal niet gheoorlooft wezen te commen tot de wapenen ofte breecken van dit Bestant, ter oorsaecke van dien: maer sal wel toeghelaten sijn in ghevallen van openbare weijgeringhe van Justitie hem te voorsien, ghelyck ghebruijckelick is, bij brieven van marcquen ofte repraesalien.

In pace Monasterii inita (anno 1648) dicitur, art. XXI.  
»Daer sullen ten weedersijden eenig Rechters in gelijk ge-

Quamquam autem non expresse stipulatum sit, bonum tamen Regis erit, restitutionem petere, eamque aliquamdiu expectare, priusquam ab obligationibus suis recedat aut arma capiat; neque agat igitur ut LUDOVICUS XV, anno 1744 foedus eum patria nostra iustum revocans, obtentu utens quod Ordines Generales restitutionem distulerant<sup>1)</sup>.

Sed denique observari debet, quaestionem an foedus violatum sit, plerumque moveri, quum bellum

---

tal worden gecommitteert bij forme van *Chambre mi partie*, etc. etc.... Voorts sullen de voorsz. Rechters examineren de quaestien over de non executie van het tractaet, als oock de contraventien van dien, die in tijden ende wijlen souden mogen comen te rijsen, soo in de landen van herwaerts over, als oock in de verre afgelegene Coningrijcken, Landen, Provincien en Eijlanden in Europa, en daer op *summarie* en *de plano* disponeren, en uijtspreeken 't gene sij in conformatiteit van het tractaet bevinden sullen te behooren." enz.

In antiquis foederibus etiam tamquam conservatores pacis occurrunt nobiliores cives et urbes, utriusque contrahentis, qui promittebant se regem suum ad pacem servandam coacturos esse. Vid. Paix de Senlis du 23 May 1493, in »Droit public de l'Europe» par MABLE, augmenté par ROUSSET, Tom. I, pag. 100, Amstel. 1748.

1) Hujus revocationis vera causa erat foedus quo nostros auxilium Augustae MARIAE THERESIAE promiserant.

inter gentes immineat, ideoque ex illa plerumque obtentum quaeri ut bellum, specie saltem justum, gereretur, sed dubium non solvi secundum juris et bonae fidei praecepta. Populi pacis revera studiosi raro has quaestiones movent.

§ 8.

Quidnam autem jam potest bellum inter populos ortum, in foedera quae ab iis icta erant?

Eo momento, scilicet, quo duo populi sibi invicem bellum indicunt, necessitudo quae inter illos exstabat, protinus mutatur, et novus rerum ordo antiquo prorsus contrarius est; status pacis enim, quum inter illas gentes vigebat, requirebat ut uterque populus quam plurima mutuae utilitatis causa faceret; omnia foedera tum navigationis et mercaturae, tum societatis et amicitiae, non aliud inde objectum habebant. Bello orto autem, non tantum rumpitur amicitia, sed insuper uterque hostis gaudet jure, alteri damnum quam gravissimum inferendi, salva humanitate, et regulis, quae in jure gentium praescribuntur, observatis. Manifestum jam inde apparet, talem novum civitatis statum, magnum

exserere momentum in foederum auctoritatem: haec enim, tempore pacis condita, fere omnia mutuam amicitiam spectant, juraque populis constituunt quae cum belli statu congruere non possunt. Quum tamen omnia foedera non ejusdem sint naturae, sed diversas contineant stipulationes pro diversis temporibus adhibendas, bellum ortum in omnia illa non eundem effectum exercet. Quaedam enim eorum, non obstante hostilitate, nil auctoritatis amittunt, quaedam stante bello, differri quidem possunt, quia effectus eorum facto impeditur, sed vis et auctoritas reviviscait statim ubi tempora hoc permittunt; alia denique cum statu pacis ita conjuncta sunt, ut hoc sublato vigere amplius non possint: haec itaque, bello inter contrahentes orto, penitus intereunt. Sed inquirere nos oportet quaenam praecipue ad singula haecce genera pertineant.

§ 9.

Foederum et conventionum quae etiam, post bellum ortum auctoritatem suam servant, duae occurunt species, altera illorum, quibus aliquid stipulatur belli tempore exsequendum, altera, quae

flagrante bello ineuntur. Priora enim effectum tan-  
tum nanciscuntur bello, et bellum in illis est casus  
foederis sive existens conditio; contrahentes talia  
foedera ineuntes casum belli praeviderunt sibique  
illa de re caverunt: bellum igitur vel justum vel  
injustum has stipulationes dirimere nequit. Omnis,  
deinde, amicitiae necessitudo cessat a momento  
quo bellum indicitur; sed quae antea pacta erant  
ut hanc inductionem futuram sequerentur, ob istam  
causam cessare non possunt. Talia foedera autem  
permulta occurunt, et ad ea referremus, quibus  
civibus in terra hostili manentibus terminus conceditur  
quo, post inductionem, cum omnibus bonis suis libere  
decedere ipsis liceat<sup>1)</sup>: tum ea quibus contrahentes  
stipulantur, bona vel nomina privatorum, quae apud  
hostem inveniuntur, numquam posse publicari,  
si bellum inter civitates oriretur; et in genere om-  
nia in quibus stipulatio occurrit, quae ipsis etiam

<sup>1)</sup> Hac de re jam generaliter cavet caput Magnae Chartae.  
Cf. Diss. viri Cons. F. F. KARSEBOOM. »De navium detentione,  
quae dicitur *Embargo.*» Amstel. 1840. In hac etiam inve-  
nitur (pag. 24) series pactorum, quae navium detentionem  
prohibent.

pro belli temporibus vim tribuit<sup>1)</sup>. Alia ipsum belli gerendi modum docent, et constituunt, quinam cives tamquam milites pugnare possint, quomodo captivi tractari debeant, alia<sup>2)</sup>.

Conventiones autem quae ipso belli tempore ineuntur, auctoritatem suam servant, quia, si in armis contrahimus, omnia contractus vitia tolluntur, quae ex tali statu hostili nasci possint, et omnibus exceptionibus, quae ex eo oriuntur, tacite sed necessario renuntiamus; igiturque induciae, ceteraeque copiarum ducum stipulationes observandae

<sup>1)</sup> Cf. KLUBER, l. l. § 152 et 250.

<sup>2)</sup> Vid. Traité de commerce entre la Belgique et les Etats Unis d'Amérique ; du 23 Janvier 1833, art. 27 : «En cas guerre entre les deux nations, les actes d'hostilité ne seront effectués, de part et d'autre, que par des individus dûment commissionnés, tels que officiers, soldats, matelots, ou agens, excepté s'il s'agissait de répousser une invasion ou défendre des propriétés,» et art. 28. «..... Des peines graves seront établies contra ceux qui rompraient les trêves et armistices, qui violeraient les capitulations, qui auraient massacré, maltraité ou mutilé les prisonniers, insulté les parlementaires, ou commis toute autre action, tendant à augmenter inutilement les horreurs de la guerre.» (Hujus foederis ratihabitio non secuta est). Cf. G. DE LA VEGA, Recueil etc. p. 20 sqq.

sunt, quamquam bellum inter civitates continuetur <sup>1)</sup>.

§ 10.

Ab ipsis foederibus, quae modo indicavimus, quodammodo differunt ea, quae bello auctoritatem quidem non amittunt, ideoque restituta pace prorsus reviviscunt, sed quorum exsecutio vel effectus differtur quandiu bellum flagret: talia in genere sunt, quae in re semel praestanda consistunt, et ea quibus in alterum contrahentium jus in re collatum est, veluti conventio de limitibus definiendis, cessio territorii, urbis vel provinciae, vel etiam continua servitus in gratiam cuiusdam territorii constituta. Haec enim cum in dominium alterius semel collata sunt, foedus non aliter spectatur, nisi ut hujus dominii justa sit causa. Hostes quidem territorium istud concessum aggredi possunt, et ideo effectus foederis, qui esse debuisse liberum dominium, dilatum est, sed aggreduntur illud tamquam terram hostilem, et si hanc postea acquirant, haec acquisitio

---

1) VATTEL, l. l. lib. III, c. X, § 175.

non sit quia pristinum foedus bello sublatum est, sed quia bellum vel recentior conventio novum jus contulit. Quum pax itaque restituitur, prioris foederis semper ratio haberi debet, hoc enim indicat, quidnam in dominio utriusque sit partis <sup>1)</sup>.

§ 14.

Reliqua foedera et conventiones interire nobis vindicentur statim ubi bellum inter contrahentes indictum est, et igitur ipsa pacis restitutione tacite non renovari. Ratione foederum quibus societas bellica inita fuerat, hoc manifestum est; amicitia enim, quae inter Reges populosque vigebat, foederi conditionem dedit, sine qua hoc stare non poterat; et bellum postea superveniens, illius conditionis apertum docet defectum. Quod attinet foedera navigationis et mercaturae, aliaque quae hisce adsimilari possunt, in illis pax quidem non fuit conditio expressa, sed tamen semper illa foedera stipulationes continent, quae contrahentes bellico tempore certe difficulter

---

<sup>1)</sup> Cf. II. WHEATON, I. I. Tom. I, Parte III, C. II, § 9 et 10. — VATTEL, I. II, C. XII, § 192.

exequi queant; mutuam enim civium utilitatem respiciunt, dum bellum alterius damnum praecipue quaerat, et igitur pacem in illis tamquam conditionem tacitam sed necessariam admittere debemus, nisi contrarium expresse stipulatum sit; hac autem sublata foedus sine dubio corruere debet. Et res ita ab omnibus civitatibus accepta est; in multis enim foederibus invenimus quasdam stipulationes, in casu futuri belli adhibendas, quae antea generaliter expressa jam erant<sup>1)</sup>.

In omnibus insuper foederibus quibus pacis necessitudo inter civitates restituitur, occurunt stipulationes quibus anteriores conventiones navigationis et mercaturae expresse renovantur, aut novae ineuntur<sup>2)</sup>.

Nonnumquam autem Reges, non obstante bello, liberum hostium commercium, propriae utilitatis causa permittunt eique favent, uti ipse Rex Hispaniarum PHILIPPUS II qui nostratisbus commercium cum Hispanis semper permisit, quamquam bellum per tri-

<sup>1)</sup> Cf. Foedus inter Belgas et Americanos anni 1833, art. 2, juncto art. 25.

<sup>2)</sup> Cf. Lord CAMPBELL, l. l. in vita Cancellarii THURLOW, Tom. V, pag. 624.

ginta fere annos jam flagraverat<sup>1)</sup>: sic etiam Imperator NAPOLEO quibusdam nautis extra ordinem concessit ut Anglicas merces in Galliae portus invehement. Sed talis libertas permisso Regio magis nititur quam jure ex anteriore foedere acquisito.

Belli momentum igitur in foedera gravissimum vocari potest, generalis autem regula, quam plurimi docent, omnia foedera tolli quum bellum indictum est, uti ex superioribus patet, admittif non potest. Animadvertere autem debemus, statum belli esse statum civitatis anomalum et violentem; jura igitur non tam stricte coluntur, uti in pace observari debent; utpote insuper juris persecutio, quae vi armata fieri posset, nullum effectum exserere solet, erga contrahentes, qui arma jam ceperunt.

Indicatae ergo sunt quaestiones quae ex violatione et bello orto nasci possunt, et momentum injuriae contrahentium satis apparebit. Superest ut videamus de legitimis et naturalibus causis, ob quas foedera auctoritate sua frui desinant.

---

1) Cf. Collection des documents sur les anciennes assemblées Nationales de la Belgique. Actes des Etats Generaux, par GACHARD; introduction pag. 72—75.

magis iuris auctoritatis, non a iure voluntatis  
imperiorum suorumque de iure defensionis suarum et  
admodum rite etiam subiecti manuteneantur. Supradicti Iuri  
Aliorū iuris sibi auctoritas et iuris suorumque imperiorum  
non debet contrariari, sed concorditer et iuncte conser-  
vandi existimari. Et hinc modo, ut iuris publici sui  
potestus et iuris privati eiusdem iuris publici sui.

## CAPUT QUARTUM.

### FOEDERUM AUCTORITAS JURE SUBLATA.

#### § 4.

Praeter fines, hucusque foederum auctoritati  
constitutos, alii exstant, qui magis naturales et justi-  
videtur, et quos contrahentes praevidere poterant,  
cum suas quisque obligationes susciperet. Multae  
et variae autem talis restrictionis adsunt causae;  
aliae enim earum nascuntur ex ipsa obligationis na-  
tura; foedera scilicet ad certum diem tantum ef-  
fectum habere poterunt, vel conditioni cuidam re-

solutoriae obnoxia esse; contrahentes sibi fortasse jus retinuerint pro lubitu ab obligatione recedendi; vel denique nonnumquam foedus initur ut certum objectum attingatur: et ita existente die vel conditione, alterius contrahentis licita defectione; vel consecuto fine proposito, omnis vis et auctoritas futura cadit. Aliae causae mutato contrahentium consilio tribui debent; quum enim nil magis naturae congruat, quam ut res eodem modo solvantur, quo sint colligatae, consensus contrarius gentium pristinum foedus tollere et omni effectu privare potest. Aliae denique praeter foedera originem capiunt, et efficiuntur ex temporum mutatione: tractus temporis enim et mutatus populorum status, principale argumentum foederis, causam et consilium ejus nonnumquam ita subvertit, ut hoc pactum certe non fuisset, si illa conditio contrahentibus jam antea existisset: dum insuper facultas a foederibus recedendi interdum quaeritur ex eo quod contrahentium novus status secum ferat, ut obligationibus suis satisfacere nequeat, quia praestatio ad quam tenentur revera fieri nequit, vel quia in civitatis ruinam vergeret. Omnes autem illae causae ob quas utrimque a fide

data deflectere liceat, quia ipsum foedus vim et auctoritatem exercere desiit, non ab omnibus sine difficultate quasi tales agnitae sunt, et praecipue earum usus in singulis foederibus originem dedit multis dubiis et quaestionibns, quae tractare et pro viribus componere velimus.

§ 2.

Primum genus causarum ab quas foederum auctoritas restringitur, quasque in ipsis foederibus quaerere oportet, ut supra indicavimus, diversas continet species, de quibus singulis jam videndum est; et itaque primo loco de foederibus quae ad tempus inita sunt. Haec autem parvam difficultatem afferent: nemo enim est qui non videat, contrahentium obligationes, quae ad diem initiae sunt, existente illo die, ipso jure corruere, quia earum vita extinguitur. Moneamus tamen diem istum nonnumquam incertum esse tempore contractus initi: foedera enim quae personalia vocantur, id est quorum vis pendet a vita cuiusdam personae, intereunt ipso die mortis; hic jam certo oriatur, omnes autem nesciunt quando ille veniet. Ceterum effectus idem est.

§ 3.

Restrictioni ex tempore definito ortae adsimilare possumus illam quae ex operatione conditionis resolutoriae efficitur. Si talis conditio in foedere expressa est, dubitari nequit, quin foedera omnem futuram vim et auctoritatem amittant, statim ac ea conditio extet. Sed multae insuper conditiones resolutoriae tacitae in foederibus quaeri solent, quae graviorem difficultatem pariunt, quasdam istarum jam indicavimus ubi locuti sumus de conversione civitatis regiminis formae, de violatione et de bello orto; de aliis deinceps agemus, ubi sermo erit de mutatis temporibus. Revera nempe agnoscendum est, illas conditiones etiam tacitas nonnullis foederibus inesse, animadverti tamen velimus non alias quasi tales accipi debere, quam quac ex foederis causa vel argumento directe et aperte effici possunt. Exemplum ejusmodi conditionis quaeri potest in foedere quo populus promiserit se seorsim a civitate, in bello socia, pacem non facturum; si contrahentes bello consecuti sunt, aut pace facienda consequi possunt id quod sibi proposuerant, et unus

eorum bono et aequo modo pacem condere recusat, alter sine dubio a suo promisso recedere potest. Contrahentes enim foedus inierunt ut junctis viribus facilius aliquid obtinerent, et tamquam existentem conditionem resolutoriam admittere debemus, quod unus eorum bellum inutile adhuc gerere velit, quum obtainere possit, quod sibi proposuerat<sup>1)</sup>. Aliud exemplum habemus in foedere, quo quis se sponsorem constituerit alicujus foederis; sponsoris enim obligatio cessare debet, statim ac foedus, cuius exsecutionem affirmavit, ipsum cadat. — Neque supervacuum judicavimus hoc loco historiam tradere foederis quod necessitudinem inter Belgium et Hollandiam constituit, ex quo etiam tacitae conditionis resolutoriae exemplum apparebit. Anno scilicet jam 1831, foedus ictum erat inter Belgium et quinque Europae majores civitates, Rex GUILIELMUS autem consensum suum huic non dedit ante diem 14 Martii anni 1838. Belgii obligatio certe per-

---

<sup>1)</sup> Cf. F. M. W. TESTA, Diss. de causis ob quas pax cum hoste communis a gentibus, in bello sociis, jure seorsim condatur, Cap. II, § 7, Rhen. Traj. 1828.

fecta erat inde ab anno 1834, sed meliores pacis conditiones consequi cupiens, haec civitas contendit se consensum unice dedisce foederi oneroso anni 1831 ea conditione, ut statim a Rege GUILIELMO tamquam populus sui juris agnosceretur, status belli inde cessaret, et sic totum foedus sine mora exsecutionem nancisceretur: et cum plurima horum consecuta non erat, se a tota obligatione liberatam arguebat. Jam si foedus ipsum inspicimus appetet revera talem conditionem ex eo sine difficultate effici posse; argumentum enim ejus erat ut pacis et amicitiae necessitudo inter duas gentes rursus vigeret, hoc autem Belgae non obtinuerant, et longe aberat ut necessitas pacis cum Hollandia ferienda anno 1838 Belgis tanta esset atque anno 1834. Quidquid autem sit, haec quaestio quam Belgae moverunt, revera gravem juris gentium difficultatem non perperit, quia deinde novum foedus inter diversos contrahentes ictum eam composuit <sup>1)</sup>.

---

<sup>1)</sup> Cf. »Histoire parlementaire du traité de 1839 entre la Belgique et la Hollande." Praesertim: Introduction, »Adresse de la chambre des représentants en réponse du discours du

§ 4.

Alia causa ob quam foederum auctoritas jure tollatur, ea est, quod unus contrahentium a foedere deflectat secundum facultatem quam sibi retinuerat<sup>1)</sup>. Si hoc sit intra terminos et secundum regulas in foedere propositas, et humanitatis inter socios officio servato, foedus legitime tolletur. Sed nonnulli hanc facultatem ita extenderunt, quasi a foederibus deflectere liceret, etiamsi hoc non expresse statutum fuisset, et ea ita pro libitu contrahentium vim et auctoritatem amitterent: alii autem hanc licentiam generaliter admittunt, alii cum quadam restrictione; plurimi autem sanctitatem qua foedera fruuntur non minorem putarunt, quam illam quae obligationibus ex contractu privatorum ortis debetur. Quodsi respiciamus, consensu dato jus alienatum esse in gratiam alterius contrahentis, istiusmodi licentia, foe-

---

Roi," Brux, 1839. — Tum foedera 15 Novembris 1831, et 19 Aprilis 1839; in G. DE LA VEGA, I. I. pag. 1. sqq.

<sup>1)</sup> Cf. Traité entre la Belgique et le Royaume des Pays-Bas du 29 Juillet 1846, art. 24; in G. DE LA VEGA, I. I. pag. 471.

dera sine justa causa revocandi, deneganda nobis videtur<sup>1)</sup>. Ob eandem etiam causam improbari debet sententia illorum qui putant foedera, quae in praestationibus futuris versantur, a quolibet socio rumpi posse, simulac appareat, hunc ex observantia nullum luerum amplius capere posse, rationem afferentes quod foedera in mutuam paciscentium utilitatem percussa sint, et hanc unice spectent, et igitur quisque contrahens revocare possit foedus, quo illam utilitatem ipsi non afferat. Quod attinet stipulationem foedera *in perpetuum* icta esse, eidem intelligunt eam nihil aliud ostendere, nisi imbecillitatem ingenii humani, quae quidem societatem inire cupierit perpetuam sed non potuerit<sup>2)</sup>. Qualis doctrina autem valde perniciosa nobis videtur bonae fidei foederibus servandae. Violatio enim maxime aperta semper justitiae specie tegetur tali utilitatis obtentu, quae semper a Regibus fingi potest<sup>3)</sup>: quum insuper

---

<sup>1)</sup> Cf. KLÜBER, I. I. Tom. II, § 164, nota C et § 165 nota E.

<sup>2)</sup> Cf. NEYRON, Diss. de vi foederum inter Gentes; et idem, »Principes du droit des gens,” § 210 sqq.

<sup>3)</sup> Cf. u. FÄGEL, Diss. laud. Cap. IV, § 22–23.

nemo foedus violat, nisi putet ex ea juris transgressione majus lucrum sibi oriturum esse, quam si obligationibus suis satisficerit.

§ 5.

Foedera deinde vim et auctoritatem amittunt si contrahentes consecuti sint, quod sibi foedus pangentes proposuerant; et hoc quidem nullum dubium movebit: populi enim contractum ineuntes primario spectabant id quod consequi vellent; haec erat causa ob quam convenerant: foedus ipsis tantum erat modus quo facilius finem propositum attingerent, et cum ad finem istum pervenerunt, manifestum est, foedus tamquam rem accessoriam derelinqui posse et omnem vim futuram cadere. Inde sequitur etiam nil ad rem referre quomodo finem propositum attigerint, sive hoc fuerit conjunctis viribus, sive operatione unius tantum contrahentis, sive etiam casu fortuito vel alia ratione quae praevideri non poterat quum foedus iniebatur.

A foederibus autem, in quibus duo pluresve populi finem quemdam sibi proponunt, probe dis-

tinguenda sunt ea, quibus praestatio quaedam promittitur, et e quibus ita, hac praestatione facta, nihil postea peti potest, cujus generis sunt ea, quibus limites definiuntur vel aliud jus in re ceditur. Horum scilicet munus peractum est, statim ubi contrahentes perfecerint id ad quod tenentur, et ita vis activa ab eo inde tempore cessat; sed nihilominus aliquod adhuc momentum passivum exercent, justi tituli nempe vicem gerunt praestationis a populo factae: horum igitur foederum sequelae contrahentibus manent qualiscunque sit posteriorum eventuum natura <sup>1)</sup>.

§ 6.

Sed foederum vis et auctoritas etiam tollitur mutua contrahentium voluntate; illi enim, qui consensu suo obligati sunt, jus habere debent, si consensus contrarius intercedat, solvendi id quod colligaverant: ut hoc autem jure fiat, necessarium est ut omnes qui foedus inierunt revocationi illius foederis assentiantur. Quod attinet eos qui in quo-

1) Cf. dicta in Cap. III, § 10, pag. 80.

dam foedere pangendo sponsorum munere functi sunt, distinguendum est: qui enim alicui populo jura, quae ipsi ex quadam alterius obligatione debentur, affirmaverunt, nullo jure interveniendi in revocatione gaudent; cautio enim tum nihil aliud est, nisi accessoria obligatio, quae populum impedit nequit, quominus hic libere a suo jure desistat, quum hoc jus et sic salvum est. Si autem sponsor universe de foederis existentia vel observantia caverit, vel sui proprii commodi causa, vel ob quietem et utilitatem publicam, vel ut aequilibrium quoddam, quod vocant, servaretur virium et potentiae diversarum civitatum, hujus consensus omnino requiritur, ut foedus legitime tollatur; talis enim sponsor non ita intercessit, ut cujusdam contrahentis jus incolume servaretur, sed ut status politicus generalis semper adesset, qui isto foedere constitutus erat. Ceterum alii qui ex foedere fortasse lucrum et utilitatem capturi fuissent, non autem tamquam contrahentes principales intervenerunt, cum iniretur, nullo jure fruuntur, quo foederis dissolutionem mutuo consensu impediunt.

Hucusque generaliter de effectu consensus con-

trarii ; videndum porro de modis quibus ille consensus revera adesse haberi possit : expresse scilicet datur, vel tacitus extare praesumitur ex quibusdam rebus et factis. De expressa illa revocatione foederum nihil dicendum erit , contrahentes enim novam ineunt conventionem qua priorem tollunt. De tacita autem saepius disputatum est, et praesertim quaestio movetur an foedus tamquam revocatum haberi deberet, et igitur consensus tacitus praesumi posset , cum civitates quae olim contraxerant, novum foedus pepigissent, in quo prioris ne verbo quidem mentio facta esset, quamquam vero utriusque objectum aequale aut saltem simile esset? Sed momentum harum quaestionum requirit ut rem de praesumpto consensu accuratius investigemus. Si, scilicet novum foedus inter populos intercedat, primo loco quaerendum erit utrum pristina eorum obligatio sublata non fuerit alia quadam causa jam antea orta, veluti mutata regiminis forma , bello, aliave , quae saepe rationem novi foederis ineundi constituunt. Tum enim antiquum foedus, etiam sine expressa revocatione , auctoritate sua non amplius gauderet. Si, contra, talis causa vim et efficaciam pristini

foederis perimens, non intercesserit, haec tria necessario requiruntur in novo foedere, ut ex eo contrahentium voluntas priorem obligationem revocandi praesumeretur, et illa igitur eo facto pro sublata haberi possit. Et quidem primo loco necessarium est ut novum foedus pactum sit ab omnibus iis populis qui pristinum inierant; horum enim consensus postulatur ut expresse tollatur foedus, et igitur quidam ex contrahentibus prae ceteris facultatem habere non possunt, ut jura communia tacite revocent. Deinde oportet ut in novo foedere de iisdem rebus agatur quibus in pristino; inter foedera enim quae diversa tractant argumenta, nullum vinculum, nullaque cohaerentia exstat, et ex eo solo quod iidem populi rursus foedus inierint, nemo praesumptionem istam consensus contrarii efficere velit. Denique novi foederis stipulationes prioribus debent esse contrariae, aut saltem tales ut simul cum istis existere nequeant; si enim populi denuo contrahentes, obligationes suscepérunt quae sine ulla difficultate juxta antiquas vigere possunt, neque impediunt quominus hisce satisfiat, tum non tantum revocationis praesumptio non adest, sed insuper pristinum foedus potius cor-

roboratur, nulla ceteroquin ipsius mentione facta. Si autem iidem populi de eadem re contrahentes, quidquam priori foederi contrarium stipulati sunt, ex eo consensus illorum merito effici poterit, quo vincula quae ex antiqua obligatione aderant, solvere voluerint.

Sed nonnulli taciti consensus praesumptionem, quo foedera rescinderentur, quaesiverunt quoque ex eo, quod contrahentes obligationes sibi ex foedere natas per longum tempus non servaverint, quin tamen illa de re a laesa parte ulla querela agitata fuisset: et talis foederum extinctio vulgo vocatur abrogatio *facto constituta* (abrogation de fait). Ut autem hocce modo contrahentium obligationes jure sublatas dicere possimus, in censum venire debet causa ob quam foedera effectum numquam habuerint. Saepe enim civitas majore potestate fruens obligationibus suis erga populum minus potentem non satisfacit, et hic tamen non queritur, quia facultas ipsi deest alterum cogendi; et quisque videbit, tali casu obveniente, foedera numquam interitura esse, quantum etiam sit temporis praeteriti spatium. Contra autem nonnumquam accidit, ut postquam foedera icta sunt, utilitas eorum utrique civitati minuta vel etiam sub-

lata videatur, et populi sic mutui commodi causa obligationes non servent. Hic jam causa adest quae post temporis lapsum foederum auctoritatem perimere possit: quando autem hoc jure fiet, praesertim ex ceteris rebus et factis contrahentium effici debet; generalis hac de re regula dari nequit, quia nulla lex juris gentium, praeescriptionem certo numero annorum adstringit. Animadvertere insuper debemus hanc materiem magna dubia et graves difficultates et praebuisse et semper praebituram esse.

§ 7.

Aggredienda jam est ista foederum auctoritatis restrictio, quae quidem ex causis praeter foedera surgentibus nascitur, sed horum futuram existentiam tamen plane impedit. Haec autem duobus modis occurrere potest, vel propter temporum mutationem, quae rationem foederis subverterit, vel quia contrahentes obligationibus ex foedere natis satisfacere amplius nequeant.

Restrictio rerum temporumque mutationi tribuenda, illa est, quam juris gentium interpretes indicare solent nomine clausulae *rebus sic stantibus* quam in

multis foederibus tacite adesse admittunt. Locus autem multis disputationibus ansam dedit, quia viri, tum in rerum gestarum historia illustres, tam juris gentium docti, saepe conati sunt, vim illius tacitae clausulae, certis et veris suis limitibus circumscribere, unde alii illam latius, alii strictius intelligendam esse docent: omnes autem hac de re sententias referre supervacuum putamus. Fundamentum rei in hocce versari nobis videtur: omne scilicet foedus quod contrahentes manifeste inierunt respectu alicujus rationis, quam tempora vel praesens civitatis status attulerint, auctoritatem suam amittit, quum appareat tempora vel statum istum ita mutata esse, ut argumentum quod foederi causam dederit, subversum haberi debeat; ille enim rerum status erat elementum foederis principale, ratio sine qua hoc initum non fuisset, et ita superveniens mutatio vim conditionis resolutoriae exercet<sup>1)</sup>. Talem hac de re sententiam etiam tuetur vir illustris VATTEL »il est certain et manifeste, inquit, que l'état présent des

---

1) Cf. TESTA, Diss. laud. Cap. II § 13. — FAGEL, Diss. laud. Cap. IV. § 296.

chooses est entré dans la raison qui a donné lieu à la promesse, que la promesse a été faite en considération, en conséquence de cet état des choses, elle dépend de la conservation des choses dans le même état<sup>1)</sup>.” Quisque autem ex hisce intelligere poterit, hujus clausulae existentiam et operationem, non nisi magna cum prudentia agnosci debere; quodsi enim illam nimis generaliter admitteremus, perfidia maxime aperta, justitiae specie tegi posset. Omnes nempe populi qui damnum ex quodam foedere patiuntur, quia eventus spei olim conceptae non congruit; facillime temporum aut status mutationem obtendere poterunt, ut ita onerosis istius foederis vinculis liberentur. Talis vis igitur mutatis temporibus tribui non debet, nisi ex ipso foedere aperte pateat, illud unice initum esse ut *res*, quae foederi fundamentum erant, *sic starent*; et porro mutatio debet esse tanti momenti, ut contrahentes foedus non iniissent, si novus rerum ordo antea jam viguisse. Ita Rex, qui prole orbatus, promisit se alium heredem instituturum, jure deflectet ab hocce foedere, si postea

<sup>1)</sup> Cf. VATTEL, I. I., lib. II. Cap. XVII, § 296.

filius ipsi nascatur. Item populus qui pace fruens vicino auxilium promisit, recedet, si bellum urgeat, in quo illi omnes copiae necessariae sunt, ut suam ipse civitatem tueri possit. Sic eidem causeae tribui poterit foederum restrictio propter mutationem regiminis formae, vel Regiae gentis expulsionem et bellum ortum, si foedus certam formam, certum Regem, vel pacis statum manifeste respexerit (de quibus omnibus, ob argumenti gravitatem separatim egimus); tum etiam propter civitatis obligatae imminentem ruinam, de qua infra videndum erit.

Saepenumero vero Reges, uti rerum gestarum historia nos docet, obligationes suas exsequi negarunt, foedera temporum mutatione perempta contendentes, cuius rei ratio autem non tam manifesta omnium oculis videbatur. Exemplum afferamus, quaestionem istam celeberrimam, quae inter Ordines Generales civitatis nostrae et JOSEPHUM II, Belgii Austriaci principem, anno 1781 mota est. Ex pace Ultrajectina (inita die 14 Aprilis 1713), scilicet, quae bellum de Hispanica successione composuit, Belgium Meridionale, quod antea Hispanicae dominationi subjectum erat, Austriae principibus cesso-

est, et foedere subsequenti, quod vocant foedus limitum, obicis sive propugnaculi (traité des limites, de barrières), inito die 15 Novembris anni 1715, stipulati sunt contrahentes, ut nostrates jus haberent, praesidii mittendi in quasdam Belgii urbes. Causa hujus foederis haecce erat, ut omnes Europae Principes et praesertim Ordines Generales, Galliae nimiam potestatem timentes, incursionibus hujus civitatis futuris obstarere cuperent. Postea autem, mutato rerum statu, Augusta MARIA THERESSIA cum Galliae Rege societatem inivit (anno 1756) ut junctis viribus bellum gererent contra Anglos et Borussos. Jam anno 1784, Imperator JOSEPHUS II, cui foedus istud limitum, revera odiosum et onerosum erat, legato Ordinum Generalium declaravit, se castella et oppidorum munita destruere velle, et hanc suam voluntatem nuntiare, ut Ordines copias suas in patriam revocarent<sup>1)</sup>. Nostrates ad foedus anni 1715 provocarunt; Imperatoris autem Cancellarius, vir illustris KAUNITZ respondit, jus

<sup>1)</sup> Cf. Histoire générale des traités de paix, etc. par le Comte DE GARDEN; Tom. V, pag. 66 sqq.

Ordinum praesidia mittendi non amplius extare;  
» foedus enim, inquit, quo hoc jus concedebatur initum est in odium Galliae, necessitudo autem Austriae inter et Galliam prorsus mutata est, amicitia arctissima inter illas civitates hodie viget, ita ut haec optimum praesidium praebeat, quod Galliam contineat, ideoque foedus anni 1715 plane inutile haberi possit." Et quum omnis foederis auctoritas cesset, statim ac ratio quae illud peperit, mutata sit, Imperatoris JOSEPHI obligationes hac de re exstinctas esse contendit. Haec autem rei explicatio probanda nobis non videtur; foedus enim omnino pactum erat ut obstaculum extaret Gallorum aggressioni, sed haec non unice timebatur Austriae, sed longe magis patriae nostrae ejusque sociae Magnae Brittanniae, quod ex jure praesidii habendi in civitate vicina, abunde patet. Novum autem foedus, quo societas condita est Galliam inter et Austriae, periculum istud nosstratis non sustulit sed potius auxit. Igitur dici non poterant, societate illa tempora ita mutata esse, ut pristini foederis ratio plane perempta haberetur<sup>1)</sup>.

---

1) Cf. von BOHN, Denkwürdigkeiten etc." Tom II, pag.

§ 8.

Denique populus obligationibus, quae ex foedere natae sunt, non amplius obstringitur, quum promissa sua exsequi non potest; et hac de re nemo dubitabit si exsecutio illa impediatur rebus et factis, id est, quum revera populo vires desint ad praestandum id, ad quod tenetur: haec enim erit vis major, quam alter contrahentium pati debet, quia nemo teneri potest ultra vires. Sic nemo tradere debet provinciam, quam vicino promisit, si hostes eam jam occupant; item, si foedus exstat, quo tres civitates sibi mutuum in bello auxilium stipulatae sunt, et duae inter se pugnant, tertia neutri auxilium debebit, quia foedus ab una parte exsequens, ab altera violaret. — Sed tale foederis impedimentum nonnumquam exstat morale, si, scilicet, praestatio quidem fieri posset, verum civitatis ruinam secum traheret: quae quaestio, an ab obligatione recedere liceat, quum illa in civitatis ruinam vergat, nonnullas praebuit difficultates <sup>1)</sup>.

196 sqq., tum: Beilage I, pag. 415. — G. F. DE MARTENS,  
"Nouvelles causes célèbres etc." Tom. II, Cause I.

<sup>1)</sup> Cf. KLEBER, l. l. § 164, nota e.

jus non praebeat, angustiae populi qui eligere debet inter imminentem ruinam et foederis violationem, satis nobis demonstrant, illum non graviter peccare erga bonam fidem, qui ab obligationibus recedat potius, quam sinat, ut ex gentium numero tollatur. Tum enim valebit »salus publica suprema lex" et haec omnia postponere jubet <sup>1)</sup>.

---

Vidimus igitur quid in pangendo foedere requiratur ut hoc vim et auctoritatem habere possit, indicavimus deinde quasdam causas quae vincula talis obligationis solvere queant: omnibus illis causis, pro viribus nostris, certa juris fundamenta constituimus, memores praecepti, quod nos docet illustris vir VATTEL, qui nobis in specimine conscribendo saepe dux fuit; quum in praefatione operis sui notissimi monet »Ne comprendre sous le nom de droit des Gens que certaines maximes, certains usages reçus entre les nations et devenus obligatoires pour elles, par l'effet de leur consentement, c'est resserrer

---

<sup>1)</sup> Cf. TESTA, Diss. laud. § 9.

dans des bornes bien étroites, une loi si étendue, si intéressante pour le genre humain, et c'est en même temps la dégrader, en méconnaissant sa véritable origine." — Longe autem abest ut illa funda-  
menta, tamquam certa agnita fuerint quotiescum-  
que ea rebus et factis gentium applicarentur; qua  
de re autem nemo mirabitur, si reputet certitudi-  
nem etiam deficere, quum *Codex scriptus* jura cu-  
jusque definiat, in jure gentium vero nullam fere  
legem adesse, nisi eam quae populorum bona fide  
nitatur. Ex hoc jam certitudinis defectu orta sunt  
gravia ista dissidia, quae humani generis historiam  
tot bellorum memoria polluant. Exempla autem  
quae in specimene attulimus, nos docent, lites in-  
ter gentes foederum causa in dies minui: leges enim  
singularum civitatum publicae accuratius definunt,  
cuinam facultas competit populum obligandi; et  
sic periculum prorsus tollitur ne postea obligandi  
vis foederibus denegetur. Foedera ipsa deinde, ut  
vidimus, cavent ne querela surgat, de interpreta-  
tione, violatione, aliisve, et contrahentes sic dissen-  
tiones, postea oriundas, partim antevertunt.

Omnes autem lites inter populos evanuisse, et

nunc dici nequit et numquam dicetur: quandiu enim bona fides laedi poterit (quod est humanae imbecilitatis), gentium jura salva et firma non erunt, neque pax perpetua et universalis exstabit. Omnino cum KLUBERO dicendum est<sup>1)</sup>, plures belli causas peremptas fore, si firma inter omnes gentes constitueretur societas, quae junctis viribus omnium, unius injuriam puniret, et commune jus custodiret; sed et tum plane vigere et coli debebunt, justitia inter homines, et inter civitates bona fides.

---

<sup>1)</sup> § ultima »de la paix générale. — «Tribunal arbitral.”

T A N T U M.

---

## THESES.

---

### I.

Hereditatis petitio datur contra eum qui bona fide pro  
herede usucepit.

### II.

Antinomia est inter legem 14 D. de rebus creditis et  
legem 9 § 1 D. de senatusconsulto Macedoniano.

### III.

Legata in quartam Trebellianicam non imputantur.

nunc dici nequit et numquam dicetur: quamdiu enim bona fides laedi poterit (quod est humanae imbecilitatis), gentium jura salva et firma non erunt, neque pax perpetua et universalis exstabit. Omnino cum KLUBERO dicendum est<sup>1)</sup>, plures belli causas peremptas fore, si firma inter omnes gentes consti- tueretur societas, quae junctis viribus omnium, unius injuriam puniret, et commune jus custodiret; sed et tum plane vigere et coli debebunt, justitia inter homines, et inter civitates bona fides.

---

<sup>1)</sup> § ultima »de la paix générale. — Tribunal arbitral."

## THESES.

---

### I.

Hereditatis petitio datur contra eum qui bona fide pro  
herede usucepit.

### II.

Antinomia est inter legem 14 D. de rebus creditis et  
legem 9 § 1 D. de senatusconsulto Macedoniano.

### III.

Legata in quartam Trebellianicam non imputantur.

IV.

Ex art. 468 C. C. tutor non potest retinere impensas occasione tutelae factas.

V.

Marito, uxoris suae curatori, curator honorarius ad-jungendus est.

VI.

Secundus emptor primum venditorem non potest adire ut praestet rei evictionem.

VII.

Socio contra socium actio deneganda non est, licet societas non sit coita secundum art. 22 C. M.

VIII.

Navium exercitores, navem cum nauo derelinquere possunt, ut sese liberent ab obligatione, tam ex contractu quam ex delicto magistri nata.

IX.

Tempus quo damnatus in carcere distinetur , prodest  
praescriptioni poenae mulctuariae.

X.

In rebus criminalibus appellatio etiam admittenda videtur.

XI.

Art. 380 C. P. applicari non potest , si furtum falso  
commissum est.

XII.

Damni resarcitio , ex art. add. 2 legis fundamentalis  
 anni 1848, praestanda non videtur illis , qui Ordinibus  
 Generalibus adscripti erant.

XIII.

Concordatum , quod anno 1827 Rex GUILIELMUS cum  
 Pontifice Romano inivit , auctoritate sua nondum desti-  
 tutum habemus.

XIV.

Industriae non nocet quod dies festi a populo celebantur.

XV.

Officium, quod COUSIN civitati tribuit, dicens (*Justice et Charité*): »L'état doit aux citoyens, que le malheur accable, aide et protection pour la conservation et pour le développement de leur vie," sine restrictione non agnoscamus.

## ERRATA.

---

Pag.	1	alin.	2	pro	<i>extare</i>	legatur	<i>exstare</i> .
»	12	»	15	»	<i>pupulo</i>	»	<i>populo</i> .
»	»	»	17	»	<i>potestam</i>	»	<i>potestatem</i> .
»	29	»	5	»	<i>at</i>	»	<i>ut</i> .
»	59	»	3	»	<i>eum</i>	»	<i>cum</i> .
»	92	»	9	»	<i>admittit</i>	»	<i>admitti</i> .

